consuetudine introduci posse, ut in electionibus omnino attendatur Imperatoris, seu Principis voluntas, ut ex ejus jussu institutio, seu ordinatio pendeat. Hujus textus solutio in promptu est, si in memoriam revocemus, quæ historice narravimus *in c. licet 6. hoc tit.* videlicet, temporibus primis Ecclesiæ, præcipue ævo Imperatoris Justiniani, R. Pontificem, etiam legitime electum, non antea consecrari potuisse, quam ejus electio ab Imperatore, vel ejus Exarcho confirmata esset; imo donec certam pecuniæ summam electus Imperatori penderent, ut narrant Lantdmeter. *l.2. de veteri clerico, c.98.* Rousselius *l.2. histor. Pontif. jurisd. c.9. & l.5. c.4.* quod propter schisma sedandum Imperatoribus Orientis primum fuerat permissum, deinde extra schisma hanc sibi usurpaverunt facultatem Imperatores, ut *in d. c.2.* latius retuli, & narrant Onuphrius *in vita Pelagii*; ad quæ tempora referendus est textus *in d. c. Agatho*, & verba illa, *juxta consuetudinem*, accipienda sunt de prædicta corruptela.

13 Intelligitur electis 18. 63. c. 1. 1. Ad eadem etiam tempora, & ex supra dicta observatione referendus est text. *in c. lectis 18. 63. dist.* in illis verbis: *Ordinare omisimus, quod Imperialem nobis, ut mos est, absolutionis detulit epistolam.* Ipsius autem textus facti series ita contigit. Reatina Ecclesia, quæ est in Provincia, & Ducatu Spoleti, longo tempore fuerat destituta Pastore, usque dum precibus Leonis IV. Pontificis Romani Lotharius, & Ludovicus Colonum Episcopum elegerunt; cujus electionis ratio extat *in c. Reatina 16. 63. dist.* Sed cum ipse Colonus e vivis excessisset, Guido Dux Spoleti alium Episcopum consensu Cleri, & populi electum, ordinandum proposuit Stephano VI. Pontifici, a quo adoptatus fuerat, ut refert Flodoardus *l. 4. histor. Rhemensis.* Sed Pontifex illam consecrare recusavit, quia consensus Imperialis non præcesserat, cum secta illorum temporum poteretur, ut Principes non solum assensum præstarent post electionem, verum & eligerent Ecclesiæ Prælatos, quare Pontifex *in d. c. lectis*, scribit Duci Spoleti Imperialem assensum juxta consuetudinem priscam expectandum esse. Cujus textus historia neglecta, ex eo plura deducit Germonius, *l. 3. sacrorum, c.12. n.45.* Sed nos eleganter habemus narratam apud Præceptorem Illustriss. D. Franciscum Ramos *in d. memoriali prop. 1. n.25.*

Opponitur etiam text. *in c. bona, el 2. de postulat. Prælat.* in illis verbis: *Sed vobis dedimus in mandatis, ut ad providendum vobis Pastorem idoneum per electionem canonicam, vel postulationem concordem, requisito Suffraganeorum assensu, si esset de antiqua, & approbata consuetudine requirendus, procedere curaretis.* Ex quibus verbis manifeste deducitur, ex consuetudine posse introduci, ut in electionibus Ecclesiasticis aliquorum expectetur assensus, itaut illis irrequisitis electio celebrata nulla sit: igitur consuetudo Jerosolymis introducta, ut electiones Prælatorum Regi, & Patriarchæ præsentarentur, & eorum expectaretur assensus, tamquam sacris Canonibus contraria, rejicienda erat. Cui difficultati ut satisfaciamus, discrimen constituendum est inter consuetudinem, qua introducitur, ut aliqui extranei a Capitulo suffragium habeant in electione; & inter eam, qua præscribitur jus improbandi, & reprobandi electionem legitime celebratam. Primo casu consuetudo tamquam legitima observatur, & attenditur, *cap. cum Ecclesia 31. hoc titulo*: consuetudo enim circa suffragia admittenda, vel respuenda maxime attenditur, *cap. in Genesi, cap. coram 35. hoc titulo.* Secundo vero consuetudo defendi non potest, nec admitti, tamquam contraria substantiæ electionis, & ejus libertati. De prima loquitur text. *in d. c. bona*; & ideo non admittitur consuetudo: in secundo vero casu procedit noster textus, ut supra dixi.

14 Explicatur c. bona, & 2. de post. Prælat.

CAPUT XV.

a Cælestinus III. *Heliensi Episcopo.*

TRansmissam jamdudum, sicut insinuare curasti, ad nostram pervenisse audientiam quæstionem, tua nunc devotio replicavit, quid tibi faciendum sit super eo, quod clerici tuæ diœcesis, cum pro suis excessibus suspensionis, vel interdicti, vel *b* excommunicationis sententia percelluntur, parvipendentes *c* eam, dimittunt *d* Ecclesias, & conferunt se ad mercimonia *e* laicorum. Nonnulli quoque ipsorum, habitu clericali postposito, *f* vestes induunt laicales, & sicut laici mercatores, se turpibus quæstibus implicant, consimilium sibi laicorum manus associant, & correctionem ecclesiasticam per contemptum eludunt, dicentes quod potestatem non habeas corrigendi eos, nisi tibi specialiter fuerit ab Apostolica Sede indultum. Nos autem in hoc volentes tibi certum dare responsum, tuæ devotioni respondemus, quod si quando tales repereris, si commoniti noluerint a tam turpibus actibus revocari, & de contemptu satisfacientes, plenarie ad clericale schema redire, tu eos auctoritate nostra suffultus excommunicationi appellatione cessante subjicias, faciasque eos ab omnibus arctius evitari, donec reatum suum congrua satisfactione diluerint, præsertim si qui eorum in sacris Ordinibus constituti sunt: hoc etiam sine speciali mandato exequi posses, cum ex quo electionis tuæ confirmationem accepisti, de talibus & consimilibus, præter ea quæ & majoris inquisitionis discussionem exigunt, & ministerium consecrationis desiderant, quod justum est, & ecclesiasticæ convenit utilitati, statuendi liberam habeas facultatem.

NOTÆ.

a *Cælestinus.*) In hac Raymundi compilatione tantum legitur, *Cælestin. III.* in secunda vero, ubi sub hoc titulo reperitur hæc decisio, legitur, *Clem. III. Heliensi Episcopo.* Sed ex his duabus inscriptionibus vera restituenda est in hunc modum, *Cælestin. III. Heliensi Episcopo.* Cælestinus enim ipse auctor proponitur duarum præcedentium decisionum; unde juxta seriem temporum, quæ in hac collectione servatur, non potest tribui hæc decisio Clementi III. qui Cælestini prædecessor fuit: addimus, *Heliensi Episcopo*, ex dicta collectione secunda, & merito; nam temporibus Cælestini III. Ecclesia Anglicana sedissimis deturpabatur clericorum excessibus; unde in Eboracensi Concilio illis temporibus celebrato, quod extat *tom. 4. pag.* 1443. in editione Binii, mercimonia, vestis laicalis delatio, & turpia lucra clericis prohibentur, quorum excessuum mentio fit in hac decisione: quare non improbabiliter existimo auctorem hujus textus esse Cælestinum III. epistolam autem esse missam Episcopo Heliensi; de qua Ecclesia egi *in c. Pastoralis, de rescript.*

b *Excommunicationis.*) Ob quæ delicta clerici his afficiantur pœnis, longum foret etiam per indicem recensere. Videndus est Aut. Aug. *in epitome juris, ex lib. 37. usque ad finem operis.*

c *Parvipendentes.*) Cum excommunicatio sit nervus Ecclesiasticæ disciplinæ, & nulla major pœna in Ecclesia reperiatur, *c. nemo contemnat 31. c. omni 32. cum seq. 11. q. 3.* traditur enim satanæ excommunicatus, juxta Apostolum 1. *ad Corinth.* quem locum exponit Morinus *l. 2. c. 29*, ideo non est parvipendenda hæc censura.

d *Dimittunt.*) Cum sine licentia proprii Episcopi non possint dimittere titulos, quibus adscripti, & mancipati sunt, *c. admonet*, ut dicam, *de renunt.*

e *Mercimonia.*) Quod innumeris juris nostri testimoniis illis prohibitum est, quæ Deo annuente, dabimus *in c. 1. ne Clerici, vel Monachi.*

f *Vestes.*) Quam aliena sit a professione sacerdotali hæc vestium delatio, probabo *in cap. Clerici, de vita & honest. Clericor.*

COMMENTARIUM.

EX hoc textu talis deducitur assertio: *Episcopus confirmatus, licet non consecratus, potest exercere omnia, quæ sunt jurisdictionis.* Probant text. *in c. in nomine, 23. dist. c. si quis Ordinatus 492. dist. c. cum in cunctis 7. §. cum vero, c. quod sicut, §. præterea, c. nostri, c. nihil 44. hoc tit. c. quamvis 7. q. 1. c. verum, 7. de foro comp. c. cum ex illo, de translat. Episc. c. sicut 33. de simon. c. fin. de clerico excommun. c. cum jam 18. de prebend.* Illustrant Petrus Gregor. *de elect. c. 19. & 20. & lib. 5. partit. tit. 2. & l. 15. syntagm. c. 12. num. 33.* Duarenus *de benef. c. 5.* Solorzan. *tom. 2. l. 3. c. 4. n. 56.* Franc. Hallier. *de sacris elect. 2. p. cap. 2. art. ult. §. 7. & de hierarch. fol. 227. & 894.* Lotherius *de benef. l. 1. q. 27.* Corvinus *l. 1. aphoris. tit. 5.* Diana *p. 12. tr. 1. resol. 94.*

7 Conclusio probatur.

8 Sed in hanc assertionem insurgi potest ea validissima ratione. Episcopi, etiam confirmati, ante consecrationem non sunt, nec appellantur Episcopi, *c. nulla, 1. 62. dist. c. sicut 8. dist. 40. c. super his, de accusat.* sed electi, *c. tua, nos, de his, quæ fiunt a Prel.* imo in hierarchia Ecclesiastica diversum gradum a Presbyteris non obtinere probant late Cellotius *de hierarch. l. 13. c. 17.* Petrus Bollo *in œconomia, class. 3. c. 1. §. 2.* Cæsar *de Ecclesiastic. q. 4. prooemiali, §. 3. & 1. p. disp. 6. §. 1. & 6.* Amplius Ecclesia, in qua Episcopus electus, & confirmatus est, dicitur viduata, *c. quoniam 100. dist. Can. 76. Concilii Vorm.* ergo ante consecrationem nec ea, quæ sunt jurisdictionis Episcopus exercere valet. Augetur hæc confideratio, nam si Episcopus, quæ sunt jurisdictionis, obire posset, fructus ipsius Episcopatus recipere, & administrare valeret; redditus Episcopatus, quousque Episcopus consecretur, penes œconomum deponuntur, *c. quoniam, 75. dist. c. si quis 492. dist.* & si non sint Canonici in Ecclesia, qui eorum curam habeant, Archiepiscopo custodia competit, *c. non licet, 12. q. 2.* Greg. M. *l. 2. in d. 10. ep. 15. 26. & 27. novel. 7. Emman. Comneni*: igitur ea, quæ non ratione consecrationis, sed jurisdictionis pertinent, ab Episcopo tantum confirmato exerceri non valent.

8 Dissolvitur ratio dubitandi.

Hac ratione dubitandi parum obstante, vera est nostra assertio, ad cujus interpretationem præmittendum est, in Episcopo perfecte, & consummate Episcopo, tria considerari, videlicet electionem, confirmationem & consecrationem. Sed quia de electione egimus *in c. 2. c. cum in cunct. de elect.* de consecratione *in c. postquam 3. c. nosti 9. hoc tit.* de consecratione *in cap.*

9 Traditur decidendi ratio.

cap. si Episcopus 6. de tempor. ordin. ideo in præsenti omittimus: quibus præmissis ratio nostræ decisionis eo provenit, nam licet Episcopus confirmatus, perfecte Episcopus illius Ecclesiæ non sit, est tamen ejus Prælatus, *c. cum litteris, 33. de testibus*, ubi Innocentius scribit, ut si delicti, quo accusabatur Episcopus confirmatus, convictus esset, a Prælatione Ecclesiæ Lucanensis amoveretur: ergo quia jam erat Prælatus Ecclesiæ ante consecrationem. Idem probatur ex eleganti decisione text. *in c. super his 16. de accusat.* ubi asseritur, accusantem Episcopum tantum electum, non debere subscribere, quia approbata accusatione non desicit promotum, sed impedit promovendum; accusantem vero Episcopum jam confirmatum, subscribere debere, quia tunc dejicit jam promotum: igitur quia per confirmationem confirmatus efficitur Prælatus Ecclesiæ. Facit etiam pro nostro Cælestino exemplum Apostolorum, quorum successores Episcopi sunt, *c. quanto de consuetud.* Apostoli enim electi, & confirmati fuerunt, cum Dominus noster eos ab aliis segregavit, & selegit. *Luca c. 6.* ibi: *Quos & Apostolos nominaverat.* Et *Matth. c. 10. Marci 3.* Consecrati autem, & initiati fuerunt in nocte cœnæ, dicente Domino: *Hoc facite in meam commemorationem*, ut habetur *Luca c. 22.* Sed antea prædicabant, & exercebant, quæ erant jurisdictionis, ut probat Hallier. *de sacris electionibus fol. 933.* igitur & Episcopi eorum successores post confirmationem possunt ea, quæ sunt jurisdictionis exercere. Deinde facit R. Pontificis exemplum; ipse enim, quia nulla indiget confirmatione, *c. licet 6. hoc tit.* statim ante consecrationem, quæ sunt jurisdictionis exercet; unde legimus Greg. VII. ante diem suæ consecrationis Legatos in diversas partes misisse, ut ipse testatur *l. 1. ep. 67.* & Clem. IV. Perusiis commorantem, Pontificem renunciatum; Viterbiam Cardinales ad Curiam accersivisse, referente Platina *in eo*, & Cælestinum plura administrasse ante consecrationem, referunt Ciaconius, & Platina *in eo.* Episcopus etiam Cato Atvenæ Civitatis electus, & confirmatus, Cautino Archidiacono judicialiter minas intulit: refert Greg. Turon. *l. 4. hist. c. 7.* recte igitur asserit Cælest. Episcopos per confirmationem consequi facultatem exercendi omnia jurisdictionalia.

10 Dissolvitur dubitandi ratio.

Nec refragatur supradicta difficultas, licet enim Episcopus non consecratus, sed tantum confirmatus, non dicatur perfecte, & consummate Episcopus; siquidem post confirmationem potsunt in ordinatione aliqua objici, quæ removeant ipsum ab Ecclesia, *c. illud, dist. 23. novel. 63. Justinian.* & ut ait Innoc. *in c. inter de translat. Episcopi*, datur spirituale fœdus conjugii, quod inter Episcopum, & Ecclesiam intercedit, in electione initiatum, ratum in confirmatione, & in consecratione intelligitur consummatum: tamen quoad jurisdictionem exercendam non desideratur, ut perfecte, & consummate sit Episcopus, sed sufficit, ut sit confirmatus. Consecratio autem desideratur, ut exerceat ea, quæ sunt ordinis. Nec obstat Ecclesiam etiam post confirmationem electi dici viduatam, *d. c. quoniam 76. dist.* Conc. Vvormat. *Can. 76.* nam huic difficultati satisfacit Innoc. III. *in d. c. inter*, in illis verbis: *Cum non intelligatur Ecclesia viduata, quasi sponsum non habeat; sed quia sponsus ejus adhuc non sit consecratus*, adhuc quoad quædam quasi viri maneat solatio destituta: sicut juxta communem modum loquendi illa dicitur Ecclesia viduata, quæ licet Episcopum habeat, inutilem tamen habet: dici etiam potest viduata, quia matrimonium inter ipsam, & Episcopum consummatum non est, juxta tradita *in c. nostri, hoc tit.* exponit Hallier. *de sacris election. fol. 297.* Nec augmentum difficultatis deductum *ex d. c. quoniam, c. non licet*, obstat; nam licet, quæ sunt jurisdictionis Episcopo concedantur, tamen denegatur ei mistio in bonis, & fructibus Ecclesiæ speciali ratione, videl. ut ad procurandam suam consecrationem confirmatus alliciatur: & sic jura, quæ concedunt confirmato exercitium jurisdictionis, negant Episcopo immissionem in bonis, & fructibus Ecclesiæ; ideoque tantum ea, quæ acquirit Episcopus a tempore consecrationis, acquirit Ecclesiæ non a tempore confirmationis, quia antea non implicatur fructibus, & bonis Ecclesiæ: quo modo intelligendus est text. *in cap. ut Clerici 3. de pœnis Cleric.* omisso Butrio ibi, *num. 3.*

11 Exponitur c. Verum, de foro comp.

Sed primo adversatur superiori assertioni textus *in cap. verum, de foro compet.* in illis verbis: *Ex quo fuerit in Ecclesia consecratus.* Ex quibus expresse probatur, de causa feudali cognoscere non posse Episcopum confirmatum, sed desiderari, ut sit consecratus: at causa feudalis est jurisdictionis, *c. ceterum, de judic.* igitur quæ sunt jurisdictionis, non possunt exerceri ab Episcopo confirmato. Oppressi hac difficultate Innoc. & Hostiensis *ibi*, & Gothofredus *in summa illius tituli*, existimant addendam esse particulam *maxime*, ut sensus sit, de causis feudalibus cognoscere posse Episcopum, maxime consecratum. Glossa marginalis in eo textu testatur in codice Barbatiæ legi, *confirmatus, vel consecratus*: sed nec in secunda collectione, nec in ulla alia inveni ita legi. Quare retenta vulgari littera, D. Ildefonsus de Avila, apud Salmantic. D. Bartholomæi collegii alumnus *in præsenti, n. 12.* affirmat in eo textu verbum *consecratus*, non sumi stricte, & rigorose pro ordinato Episcopo, sed pro Episcopo jam devoto, & mancipato Ecclesiæ; quia sicut res consecratæ dicuntur, quæ cultui divino destinatæ sunt, licet unctione sacra non sint delinitæ, *c. nulli, 12. q. 2. §. sacra, Instit. de rerum divis. l. si quando 30. C. de bonis vacant. l. 10. l. porgis 5. C. de sepulc. viol.* ita Episcopus devotus, & destinatus Ecclesiæ, late potest appellari consecratus. Sed nec hanc subtilis ingenii interpretationem admittunt ea verba, *Ex quo Episcopus fuerit in Ecclesia consecratus*; quæ expresse exigunt consecrationem ipsius Episcopi. Gujacius in eo textu affirmat Episcopum confirmatum non posse exercere jurisdictionem in omnibus causis, sed tantum respectu clerici contumacis, juxta nostrum textum. Sed omnibus his omissis existimo, aliam esse mentem Pontificis; observo ergo ibi tractari de feudis spectantibus ad Ecclesiam vacantem, in qua confirmatus erat Episcopus: sed ut supra dixi, Episcopus non consecratus, licet exerceat, quæ sunt jurisdictionis, tamen non potest attingere, aut aliquid disponere de rebus aut fructibus Ecclesiæ, ut supra probavi: ideo ergo in eo textu desideratur, ut sit consecratus, nec sufficit confirmatus; quia de feudis ipsius Ecclesiæ agebatur, & per consequens de rebus ad ipsam Ecclesiam pertinentibus.

12 Exponitur c. cum dilecti de purg.

Secundo obstat text. *in c. cum dilecti 15. de purgat. can.* in illis verbis: *Purgationem indictam ab electo Constantiensi curaverit exhibere.* Ex quibus depromitur, Episcopum tantum electum potuisse punire, & animadvertere in clericum incestuosum: igitur non desideratur, ut sit confirmatus; ut quæ sunt jurisdictionis, valeat exercere. Cui difficultati satisfaciendum est dicendo, in eo textu electum Episcopum accipi pro confirmato, quia Episcopus usquedum consecretur, semper appellatur electus, *c. tua 8. de his quæ fiunt a Prelat.* quare dum esset confirmatus, potuit jurisdictionem exercere.

13 Exponitur c. cum olim 7. de dolo, & contum.

Tertio supra traditæ assertioni obstat textus *in c. cum olim, de dolo, & contumac.* in illis verbis: *Administrationem Rostensis Ecclesiæ in spiritualibus, & temporalibus committatis.* Ex quibus deducitur, Episcopum confirmatum non ideo statim posse administrare in propria Ecclesia res temporales, aut spirituales. Pro cujus difficultatis solutione dicendum est, quod licet Episcopus confirmatus possit exercere omnia, quæ sunt jurisdictionis, & etiam administrare res etiam temporales ipsius Ecclesiæ; id tamen procedit, quando confirmatio legitime, & quiete facta est: at vero cum super ipsa confirmatione, seu electione lis mota est, & agitatur, non potest se immiscere Episcopus, etiam confirmatus, administrationi rerum temporalium, seu spiritualium ipsius Ecclesiæ: quo casu procedit textus *in dict. cap. cum olim*, ut facile ex ejus serie colligitur, & notavit Abbas ibi, *num. 7.*

CAPUT XVI.

a Innocentius III. *N. de Cella S. Petri, & N. Mitren. Abbatibus, & N. Præposito Vverden.*

CUm inter dilectum filium R. seniorem, & R. juniorem, super Abbatia Scassusensi quæstio verteretur, eis in nostra præsentia constitutis, dilectos filios G. Sanctorum Cosmæ, & Damiani, & G. S. Mariæ in Aquiro Diaconos *b* Cardinales dedimus auditores, in quorum præsentia pro R. seniore fuerunt proposita, quæ sequuntur. Quod cum H. quondam Abbas ipsius cœnobii, onus regiminis invito Capitulo suo spontanee resignasset, & ab obedientia sua Monachos absolvisset, ipsi prædictum R. seniorem, dicto H. consentiente, sibique obediente cum aliis, in Abbatem unanimiter elegerunt. Postea vero electus diœcesano Episcopo præsentatus, munus ab eo benedictionis accepit, Ecclesiam ipsam per biennium, & amplius sicut Abbas proprius administrans. Verum quoniam moniales S. Agnetis ejusdem villæ, quæ peccandi materiam junioribus Monachis ministrabant, arctiori custodiæ mancipavit, exinde occasione inventa, juvenes Monachi contra ipsum alios concitarunt, tamquam prædicti H. resignatio minus canonica extitisset: quod audiens Episcopus antedictus, ad locum accessit, causam dissensionis requirens, & prædictum H. paterne redarguens, tamquam odii fomitem in Ecclesia seminasset, accepit ab eo, quod per ipsum talia non fiebant: & cum quidam de Monachis, ipso Episcopo præsente, se dicerent ab obedientia præfati H. nullatenus absolutos, idem H. quod eos absolverat, est professus: & ut omnem a se suspicionis materiam amoveret, cum juretjurando vehementer asseruit coram Episcopo antedicto, quod neque illam, nec aliam habere vellet ulterius Abbatiam. Monachi vero post recessum Episcopi ad artes solitas nihilominus recurrentes, coram dicto Episcopo, & Capitulo Constantiensi adversus eumdem R. controversiam agitarunt, tamquam minus canonice dictus H. dimiserit Abbatiam. Cumque dictus R. paratus esset de justitia sua incontinenti probare, Monachi defectum caussæ suæ videntes, in nullo gravari Sedem Apostolicam appellarunt, & per litteras infra terminum appellationis per subreptionem

nem obtentas, contra ipſum R. per nuntios appellantem iniqua ſententia promulgata, ejus fuit adverſarius reſtitutus. Ipſe vero R. appellationem interpoſitam per nuntium proſequens, & termino conſtituto, commiſſionis litteras ad certos judices impetravit, ut eo, quod occaſione prioris commiſſionis contra eum judicatum fuerat, ad ſtatum debitum revocato, & ei reſtituerent Abbatiam, & a Monachis ſibi facerent debitam reverentiam exhiberi. Sed Monachis obſtinatis, & ſibi obedire nolentibus, ambæ partes ad Sedem Apoſtolicam acceſſerunt: quibus a bonæ memoriæ Cæleſtino Papa *c* prædeceſſore noſtro, nos ipſi, dum in minori eramus officio *d* conſtituti, & dilectus filius noſter I. titul. Sancti *e* Stephani Presbyt. Cardin. dati fuimus auditores: & cum utrinque coram nobis eſſet diutius allegatum, & eidem prædeceſſori noſtro per nos eſſet proceſſus negotii declaratus, ipſe prædictam R. ſententiam cum inſtantia poſtulantem, ad *f* componendum coegit invitum: & ſic Abbatiæ renuntians de manu ejus *g* Cuſtodiam, & etiam Prioratum ab eo dum viveret, ſine quæſtione qualibet accepit *h* poſſidendos. Huic autem ordinationi licet invitus conſentiret, domum tamen reverſus, adverſariis compoſitionem ipſam in nullo volentibus obſervare, non potuit, quæ ſibi conceſſa fuerant, obtinere, quin potius in eum, quod deterius eſt, manus injecerunt poſtea violentas. Sed adjutus ab ipſius loci hominibus, & Monachorum manus evadens, ad Apoſtolicum ſubſidium convolavit. Interim vero dilectus filius noſter P. *i* Sanctæ Mariæ in Via Lata Diaconus Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus, ad partes illas accedens, pro jam dictis, & aliis multis exceſſibus, & ſuſpendit Monachos, & Monaſterium *j* interdixit. Ipſi vero contempta ſententia Cardin. divina promptius, quam antea *k* celebrarunt, & in hac ſuſpenſione prædictus adverſarius ejus in medio eſt ſublatus: quo comperto ad Eccleſiam venit, & cum vellet prædictæ compoſitioni parere, parte altera hoc nolente, ne ad electionem Abbatis procederetur, quouſque quæſtio inter eos finiretur, obicem provocationis objecit. Sed Monachi per omnia contumaces, & dictum R. juniorem pariter eligentes, ipſum benedicendum diœceſano *l* Epiſcopo præſentarunt: qui poſt appellationem interpoſitam benedixit eum, & in Eccleſia interdicta. Unde idem R. iterato Sedem Apoſtolicam accedens, a nobis litteras impetravit, ut eo, quod poſt appellationem legitime interpoſitam perperam fuerat a Monachis attentatum, ad ſtatum debitum revocato, ſi conſtaret a ſuſpenſis, & interdictis electionem factam fuiſſe, denuntiarent eam penitus non tenere: ſuper reſtitutione vero ipſius R. ſenioris, & aliis, quæ utrinque ducerent proponenda, ſtatuerent appellatione remota, quod ordo poſceret rationis. Ceterum judices delegati litteris hic receptis, partes ad ſuam præſentiam citaverunt, & cum Monachi per ſuggeſtionem falſi probare vellent litteras impetratas, judicibus nolentibus ipſorum probationem recipere, Sedem Apoſtolicam appellarunt. Delegati vero, quia remota erat in litteris appellatio, in cauſa nihilominus procedentes, cum per depoſitiones teſtium eis de veritate negotii conſtitiſſet; pro ſæpedicto R. ſeniore ſententiam protulerunt, adjudicantes ei Eccleſiam memoratam. Petebat itaque, quod factum erat ex delegatione Apoſtolicæ Sedis, per nos obtinere debitam firmitatem: ut repreſſa contumacia Monachorum, pacifica ipſius Abbatiæ poſſeſſione gauderet. Ceterum contra eumdem R. ſeniorem fuit ex parte altera taliter allegatum, quod cum dictus H. quondam Abbas minus legitime reſignaſset, & Monachi de electione tractarent, ſenior R. fraude adhibita procuravit, quod cum Veſperæ cantarentur, & die ſequenti eſset electio celebranda, homines burgi ad Eccleſiam accedentes, ipſum R. fere omnibus Monachis reclamantibus ibidem per violentiam intruſerunt. Monachi vero poſtea cognoſcentes renuntiationem præfati H. minime tenuiſſe; pariterque penſantes, quod ſub ejus converſatione laudabili Monaſterium proficere poſſet, ipſum tamquam Abbatem proprium requirebant. Unde factum eſt, quod poſt multas altercationes factas, tandem de utriuſque partis aſſenſu commiſſio eſt obtenta: quod ſi de informi reſignatione H. & inutili ſubſtitutione R. ſenioris conſtaret judicibus delegatis, R. remoto ſæpedicto H. reſtituerent Abbatiam; & ita fuit effectui mancipatum. Poſt hæc ipſo R. nihilominus murmurante, ambo pariter ad prædeceſſoris noſtri præſentiam acceſſerunt: qui ſicut jam præmiſimus, nos, & præfatum Presbyt. Cardin. eis tribuit auditores, & tandem cauſa diutius agitata, per eumdem prædeceſſorem noſtrum de utriuſque partis aſſenſu fuit compoſitio taliter celebrata, quod H. Abbatiam, R. vero Prioratum, & Cuſtodiam obtineret: propter quod ipſi H. obedientiam repromiſit. Sic ergo eis reverſis ad propria, præfatam compoſitionem idem R. coram diœceſano Epiſcopo approbavit. Sed ab ipſo Abbate poſtea requiſitus tertio, ſi Cuſtodiam, & Prioratum vellet habere, poſt trinam citationem veniens dixit, quod non per eum ſed per Rom. Pontificem volebat habere præmiſſa: unde nullam obedientiam ei voluit exhibere. Recedens igitur abſque Abbatis licentia, cum extra Monaſterium moram faceret longiorem, ab ipſo H. de fratrum conſilio fuit excommunicationis vinculo innodatus, & cum per longum tempus non rediret ad Monaſterium, Abbas dicta officia, conſulentibus fratribus aliis aſſignavit: qui quamdiu Abbas vixit, ea pacifice tenuerunt. Abbate vero defuncto, fratres convenerunt in unum, nonnullis Abbatibus, & aliis viris religioſis præſentibus, qui ad defuncti convenerant ſepulturam, & R. juniorem ſeniore abſente, in Abbatem unanimiter elegerunt: quem præſentatum ſibi diœceſanus Epiſcopus confirmavit, & benedixit. Conſequenter vero ſenior R. ad præſentiam noſtram accedens, litteras ad remotos per dietas quatuor judices, & ſuſpectos Monachis, per mendacium impetravit. Ad quos pars Monachorum ante aliquam citationem accedens, copia commiſſionis obtenta, litteras per falſi ſuggeſtionem propoſuit impetratas, pro eo quod dicebatur in eis, compoſitionem ſibi non fuiſſe ſervatam, Monaſterium interdictum, & ſe appellaſſe, priuſquam R. junior electus fuerit in Abbatem; quæ falſa penitus aſſerebat. Tacuit etiam ſe excommunicatum ab hoc Abbate defuncto, & alia quædam; quibus expreſſis litteras ipſas nullatenus impetraſset. Cumque omnia quæ præmiſimus ſufficienter probare vellent, & judices eorum probationes recipere, tamquam demandatum eis non fuerit, recuſarent, ipſi Monachi ante ingreſſum judicii appellarunt; ſicut ex depoſitionibus teſtium eſt probatum. Delegati vero nihilominus procedentes, & recipientes teſtes partis adverſæ, ſeniorem R. inſtituendum ſententialiter decreverunt, quorum factum tamquam iniquum irritari a nobis Monachi ſuppliciter poſtulabant. Cum autem quæ præmiſsa ſunt, & alia quædam, præfati Cardinales nobis, & fratribus noſtris prudenter, & fideliter retuliſsent, nos attendentes, quod ex conſenſu compoſitionis receptæ, quam prædeceſsor noſter etiam confirmaverat, jus (ſi quod ſibi competierat) R. ſenior amiſiſset; ac per hoc, ne Monachi ad electionem procederent, appellare de jure minime potuiſset; cum niſi quorum intereſt, audiri non ſoleant *m* appellantes, de conſilio fratrum noſtrorum appellationem illam dicimus legitimam non fuiſse, unde per eam electio non potuit impediri. Quia vero non conſtitit nobis, Monachos ante litis exordium rationabiliter appellare, pro eo quod ſuper falſa ſuggeſtione probationem nolebant admittere delegati: & per conſequentiam eo ipſo, quod bene appellatum fuerat, juriſdictionem judicum expiraſſe, quicquid ab eis eſt perperam attentatum, vel de recipiendis ante litem conteſtatam teſtibus, vel de ſententia proferenda, denuntiamus ſententialiter non tenere. Sane quamvis dilecti filii Præpoſitus, & Capitulum *n* Conſtantienſe de interdicto præmiſſo ad Cardinalem, qui poſuerat illud, ſuis litteris inſeruerint: quia tamen per id, quod R. juniori diœceſanus Epiſcopus munus benedictionis impendit, & videtur quod præmiſimus obviare: unde vel ſcriptura facto, vel factum ſcripturæ præjudicat: nec probatum fuit, licet objectum, quod ab interdictis electio fuerit celebrata, ipſam non potuimus irritare; præſertim cum contra perſonam electi nihil fuerit intentatum. Ideoque cauſam ipſam ſub ea forma vobis duximus de conſenſu partium committendam, ut ſi conſtiterit, quod electio fuerit facta a ſuſpenſis, ea omnino caſſata, ipſi Monaſterio, poſt *o* ſatisfactionem condignam ſuſpenſionis, & interdicti ſententia relaxata, de perſona idonea conſulatur. Alioquin ne utilitas Monaſterii retardetur, præmiſſam electionem per vos appellatione remota volumus confirmari, & R. juniorem Abbatiæ pacifica poſſeſſione gaudere: alium vero Cuſtodiam, & Prioratum, quæ ſibi fuerant a ſupra memorato prædeceſsore noſtro conceſsa, non obſtante donatione ab H. quondam Abbate facta de ipſis volumus, & mandamus ſine contradictione qualibet obtinere. Teſtes autem, &c. Nullis litteris præter aſsenſum partium. Quod ſi omnes, &c. Datum Lateran. 7. idus Aprilis.

NOTÆ.

a INnocent. III.) in tertia collectione, *ſub hoc titul. cap.* 1. ubi reperitur hic textus, legitur *Vercellenſi*; ſed inſcriptionem, & litteram reſtituo ex ipſo Codice Epiſtolarum Innocentii III. Coloniæ edito, *pag.* 289. Monaſteria, quorum Abbatibus reſcribit Innocentius, ſunt in Germania, ubi etiam in Diœceſi Conſtantienſi eſt Monaſterium Scaphuſien. de quo Bertoldus *in chron. ad annum* 1083. & S. Salvatoris, quod Scaphuſen dicitur, ideſt navium domus.

b *Cardinales.*) Inter titulos Cardinalium Diaconorum, præcipui ſunt tituli Sanctæ Mariæ in Acquiro, & SS. Coſmæ, & Damiani, ut refert Cohelius *in notitia Cardinal. capit.* 6.

c Pr-

3 c *Prædeceſſore.*) In aliquibus epiſtolis Innocentii III. ubi reperiuntur hæc verba, *C. de prædeceſſore noſtro*, aliqui, *Clemente*, legunt, ſed male; legendum enim eſt, *Cæleſtino*, ut in præſenti textu notarunt jam Spondanus poſt Baronium *anno* 1198. *n.* 4. Card. Sirletus *ad calcem editionis epiſt. Innoc. III. Coloniæ.*

4 d *Officio conſtituti.*) Innoc. III. cum in ſtudiis Philoſophiæ, ac ſacræ Theologiæ valde profeciſset, alioſque coætaneos ſuperaſset, a Gregorio VIII. Subdiaconus ordinatus fuit, a Clemente III. promotus eſt in Diaconum Cardinalem, qui poſtea temporibus Cæleſtini III. non ſolum Cardinalis officiis intendens, verum ſtudiis maxime deditus, varios ſcripſit tractatus ſumma eruditione, quos recenſet Biblioth. Pontific. *in eo*; ideo aſserit temporibus Cæleſtini ſe fuiſse in minori officio conſtitutum.

5 e *S. Stephani.*) Titulus iſte adſcriptus erat ad Baſilicam S. Laurentii extra muros, & Presbyter illo titulo decoratus appellabatur *Presbyter Cardinalis S. Stephani in Cælio monte*; notat Cohelius *in notit. Cardin. c.* 6.

6 f *Ad componendum.*) Licet nemo cogendus ſit regulariter tranſactionem, aut compromiſſionem facere, ſed tantum hortandus, & ſuadendus, *cap. fin. de tranſact. authent. ut litigat. collat.* 9. docent Molina *de primog. l.* 4. *c.* 9. *n.* 29. Oſvald. *l.* 17. *comment. c.* 1. *litt. D.* plures apud Avendann. *de metu*; ſunt tamen caſus, in quibus quis cogitur tranſigere, aut compromiſsum facere, veluti ſi ſupremus Princeps ſic jubeat: ſicut enim poteſt quamlibet cauſam avocare; *authent. qua in Provincia, C. ubi de criminib.* ita & ad compromittendum partes cogere valet. Avendanno, *ubi ſup. n.* 28. Judex etiam inferior poteſt partes ad compromittendum cogere, cum cauſa diutius diſputanda eſt, aut ita dubia exiſtit, ut facile expediri non poſſit, ut in hoc textu, & *in c. placuit* 9. *c. diſcordantes*, 90. *diſt. c. novit, de judiciis, l. unic. C. de Irenarchis*; aut cauſa inter magnates vertitur, & ejus naturæ eſt, ut ex judiciali deciſione turbari poſset; quos & alios caſus late proſequuntur Acunna *in d. c. placuit*, Guillelmus Benedict. *in c. Raynuntius*, 3. *p. num.* 27. Matienzo *in dial. p.* 2. *c.* 1. *n.* 8. Didacus Perez *in l.* 1. *tit.* 8. *lib.* 4. *ordinamenti*, Avendanno *ubi ſup.* Myſinger. *in c. finali, de probat.* Xamar. *de officio Advocati* 1. *p. q.* 8. *n.* 19. & *q.* 4. Guzman. *de evid. q.* 41. Pereyra *qq. forenſ. c.* 23. *n.* 119. Valeron. *de tranſact. in procemio, n.* 24.

7 g *Cuſtodiam, & etiam Prioratum.*) Licet enim aliquis duo beneficia regularia in diverſis Eccleſiis habere non poſſit, *c. cum ſingula, de præb. l.* 6. tamen in uno, eodemque Monaſterio duo beneficia obtinere quis valet, *cap.* 1. *de conſuet. l.* 6. Cuſtodia autem eſt protectio ipſius Monaſterii, & cuſtodes dicuntur patroni, & advocati ipſius; quo in ſenſu accipiuntur in legibus Longobardorum, *tit.* 10. *c.* 1. ibi: *Cum Pontificibus Abbatibus, vel cuſtodibus Eccleſiarum, ſeu Xenodochiorum Præpoſitis.* Plura adducit Boſquetus *ad Innoc. l.* 2. *epiſt.* 122. in hoc tamen textu cuſtodis nomen accipitur pro eo, qui cuſtodiam Monachorum, præcipue puerorum habebat; olim enim in Monaſteriis cuſtos eligebatur generalis omnibus Monachis, & aliquando binis, aut ternis adhibebatur. Lanfranc. *in conſuet. Cluniac. c. de pueris*, ibi: *Extra loca cuſtodiæ ſuæ procedat nuſquam; duo, & duas lanternas ferant, quocumque pergat.* S. Duſtan. *in concord. regul.* ibi: *Sub ſui cuſtodis vigilantia jugiter maneat, nec ipſe cuſtos cum ſingulo aliquo puero, ſine tertio, qui teſtis aſſiſtat, migrandi licentiam habeat.* Obſervat Benedictus Ephtenus *l.* 4. *diſq. monaſt. tr.* 1. *diſq.* 6. de qua cuſtodia accipienda ſunt verba ſupra relata.

8 h *Poſſidendo.*) Sed quomodo Prioratus, & Cuſtodia dantur in perpetuum; ſiquidem ad vitam concedi non valent, *c. ad noſtram, c. porrecta, de confirmat. utili, c. cum ad Monaſterium, §. nec alicui, de ſtatu Monachor.* Dicendum eſt, hoc procedere regulariter in Prioratibus electivis, & prioribus electis ab ipſo Monaſterio, at R. P. poteſt in perpetuum priores eligere, ut in præſenti fecit.

9 i *P. S. Mariæ.*) Petrus enim Diaconus tituli S. Mariæ, noſtri Pontificis tempore videlicet per annos 1198. miſsus fuit Legatus in partibus Galliæ, ut proſequeretur judicium jam ceptum ſuper divortio a Philippo Francorum facto cum legitima uxore, alia ſuperinducta, cujus legationis extant quamplures noſtri Innocentii epiſtolæ, & meminit Spondan. *in continuat.* 1198. *n. P.*

10 i *Interdixit.*) Quia univerſitas aut communitas non poteſt excommunicari, *c. Romana, §. in univerſitatem de ſent. excom. l.* 6. interdicto tamen ſubjici valet, unde paſſim in jure noſtro, dum perſonæ excommunicantur, communitates interdicuntur, *c.* 1. *de injur. l.* 6. *c.* 1. *de homicid. eod. lib.*

11 k *Celebrarunt.*) Quo facto irregularitatem contraxerunt, *c. fin. de cleric. excom.*

12 l *Epiſcopo.*) Cui competit Abbatum benedictio, ut dicemus *in c.* 1. *de ſupplenda neglig.*

13 m *Appellantes.*) Certum eſt, appellantes non audiri, ſi illorum non interſit provocatio; quare in præſenti Rodericum poſſe agere ad impediendam electionem, & etiam provocare, quia illius intererat, docent fuſe Abbas, Butrias, & Hoſtienſis in præſenti: videndi tamen ſunt Cov. *pract. q.* 14. Flamin. *de reſign. q.* 13. Salgado *de protect.* 1. *tom.* 1. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 219. Lambertin. *de jure patronat. lib.* 2. *p.* 1. *q.* 2. *tit.* 3.

14 n *Conſtantienſe.*) Conſtantiæ apud Geographicos multiplex mentio extat; in jure noſtro triplex reperitur: prima Conſtantia Metropolis Cypri; ſecunda in Germania; tertia in Gallia.

o *Satisfactione.*) Ad relaxationem cenſuræ debet præcedere ſatisfactio, *c. ex litteris*, ubi dixi, *de conſtit.* 15

COMMENTARIUM.

16 *Concluſio proponitur.* EX hoc textu illa rubro, & deciſioni aptior deducitur aſſertio; *Electio a ſuſpenſis celebrata non ſuſtinetur.* Probant textus *in c. cum dilectus, de conſuetud. cap. cum bonæ, de ætat. & qualit. c. conſtitutis, de appell. c. Apoſtolicæ, de except. c. quia, de conceſſ. præben. cap. unico, ne ſede vacante, l.* 6. *c.* 1. *de re judic. eod. lib. c.* 1. *de poſtulat. Prælat. c. poſtulaſti, cap. finali de clerico excomm. c. nos in hominum* 9. *qu.* 1. *c. quiſquis, c. per inquiſitionem, hoc tit. c. cum in Curia, §. ult. eod. tit. lib.* 6. Illuſtrant Suar. *de relig. tom.* 4. *lib.* 2. *c.* 4. *n.* 9. & *c.* 6. *nu.* 10. Barb. *de dignit. c.* 41. *n.* 6. & *l.* 1. *juris Eccleſ. c.* 19. *n.* 59. Suarez *de cenſuris diſp.* 27. *ſect.* 2. *n.* 34. Sayrus *eodem tract. l.* 4. *c.* 6. *n.* 7. Ugolinus *eod. tract. tab.* 4. *c.* 7. §. 3. & *c.* 8. §. 9. Gibalin. *eod. tr. fol.* 321. *num.* 7. Petrus Gregorius *de elect. c.* 7. *n.* 7. Julius Lavorus *de elect. c.* 15. *n.* 61. Ricciulus *de jure perſonar. l.* 4. *c.* 3. *num.* 9. Tambur. *de jure Abbatum tom.* 1. *diſput.* 5. *qu.* 8. *num.* 14. Diana 5. *par. tr.* 10. *reſ.* 8. Angujanus *l.* 2. *de legib. c.* 2. *n.* 10. & 22. Garcia *tom.* 2. *polit. tr.* 9. *difficul.* 3. *dub.* 2. Joannes Dartis *de beneficiis ſect.* 6. *c.* 1. Alteſerra *hic.*

17 *Traditur ratio dubitandi.* Quæ aſſertio ita illuſtrata difficilis redditur ſequenti ratiocinio; nam actus eligendi eſt juriſdictionis, *cap. noſti* 9. *hoc tit.* ſed ſuſpenſus ſolum privatur illis, quæ ſunt ordinis, non vero quæ ſunt juriſdictionis, ut probant Suar. *de cenſur. diſp.* 26. *ſect.* 4. *n.* 3. Alterius *eodem tr. de ſuſpenſ. c.* 4. late Gibalin. *eod. tr. fol.* 331. *n.* 33. ergo ſuſpenſus non privatur poteſtate eligendi. Augetur hoc ratiocinium ex eo, nam aut ſuſpenſi in noſtro textu erant ſuſpenſi a beneficio, vel ab ordine, vel ab actu particulari: neutro caſu ſuſpenſi privantur poteſtate eligendi: ergo. Probatur minor; nam ſuſpenſus a beneficio, privatur tantum fructuum perceptione, *cap. cupientes, §. ceterum, hoc tit. in* 6. ſed electio, ſeu facultas eligendi non imputatur inter fructus beneficii: ergo ſuſpenſus a beneficio retinet facultatem eligendi. Deinde ſi erant ſuſpenſi ab ordine tantum, privati erant poteſtate gerendi ea, quæ ſunt ordinis: ſed facultas eligendi non competit ratione ordinis; ſiquidem laici, quos converſos religioſi appellant, plerumque habent jus ſuffragii, ut refert Garcia *ubi ſupra*: ergo ſuſpenſi etiam ab ordine poſſunt eligere. Rurſus ſi ſuſpenſi ſunt ab aliquo actu particulari, non ſunt ſuſpenſi ab aliis, & per conſequens nec a facultate eligendi, quia actus humani non operantur ultra agentium intentionem, ut probant in ſpecie Gibalin. *ubi ſupra, fol.* 331. *n.* 32. igitur nullo caſu ſuſpenſi privati ſunt jure eligendi, & per conſequens electio a ſuſpenſis celebrata valida eſt.

18 *Suſpenſio eſt cenſura.* Hoc ratiocinio non obſtante, vera eſt prædicta aſſertio, ad cujus expoſitionem ſciendum eſt, ſuſpenſionem eſſe cenſuram impedientem, ne perſonæ Eccleſiaſticæ munia Eccleſiaſtica obeant, actuſve ſpirituales exerceant, ſeu aliqua poteſtate ſpirituali utantur, *c. quærenti, de v. ſ.* ubi non ſolum comprehenditur ſuſpenſio, quæ ut pœna ob delictum infligitur, verum quæ ut cenſura ad compeſcendam contumaciam imponitur, de qua *in c. ecce, q.* 4. *c. tam litteris*, 33. *de teſtib. c. cum in cunctis, §. ult. hoc tit. Clement.* 1. *§. ult. de hæret. Clement.* 2. *de pœnis*, & in aliis juris locis congeſtis a Panormit. *in c. reprehenſibilis*, 26. *de appell. nu.* 16. illud tamen inter ſuſpenſionem ut pœnam, & ut cenſuram diſcrimen verſatur, quod ſuſpenſio ut pœna inflicta, elapſo tempore præfixo ceſſat, cum prohibitio ad tempus facta elapſo tempore ceſſet; ſuſpenſio vero, quæ eſt cenſura, nunquam niſi abſolutione præcedente ceſſat, ut probat Gibalin. *de cenſuris diſp.* 10. *ſect.* 3. Hæc ſuſpenſio licet cum excommunicatione plerumque confundatur, & excommunicatio appelletur, *cap. quidquid*, juncta Gloſſa ibi, *q.* 1. *c. Eccleſiaſtica, diſt.* 23. nihilominus differt ab ea formaliter, & ſpecifice. Excommunicatio enim privat omnibus illis bonis, & miniſteriis, ac functionibus, quatenus ſunt quædam communicationes, & per eas communicatur cum aliis fidelibus: ſuſpenſio vero eiſdem functionibus privat, quatenus ſunt exercitia alicujus poteſtatis Eccleſiaſticæ ab officio, vel beneficio provenientis. Unde cum per hanc pœnam reus in eo ſtatu conſtituatur, ut nec amittat officium eccleſiaſticum, nec interim ſuſpenſione pendente exercere valeat, ideo ſuſpenſus dicitur, ut docent Sayrus *lib.* 4. *theſauri, c.* 1. Marius Alterius *de ſuſpenſ. diſp.* 1. *cap.* 1. Aliud etiam diſcrimen facilius agnoſcitur inter excommunicationem, & ſuſpenſionem, videlicet quod excommunicatio in omnes perſonas inferatur; ſuſpenſio vero tantum in perſonas Eccleſiaſticas, quæ Eccleſiaſtica officia exercent.

19 *Suſpenſio quotuplex.* Secundo ſciendum eſt, ſuſpenſionem aliam eſſe ab officio, aliam a beneficio, vel ab utroque; & aut fieri ad tempus, *ut in c. cum in cunctis* 7. *§. ult. hoc titul. c.* 1. *de re judicata, l.* 6. *c.* 2. *de temporib. ordin. eod. lib. c.* 1. *de ſentent. excomm. in* 6. *Clement.* 1. *§. penult. de hæret.* aut ad beneplacitum ſuperioris, donec indulgentiam mereatur, *c. tam litteris*, 33. *de teſtib.* Suſpenſio ab officio privat omni actu ſpirituali ordinis, de qua *in c.* 3. *de uſuris, cap.* 2. *de officio deleg. in* 6. *cap.* 1. *de rebus Eccleſiæ, in Clementinis*; niſi tantum a certo actu ſuſpenſio fiat, ut a ſacerdotali, vel ſimili, ut in caſibus congeſtis a Gloſſ. *verbo Suſpenſi*, in Clementina *cupientes, de pœnis*. Suſpenſio a beneficio incurritur, cum aliquis privatur jure illo perpetuo percipiendi fructus ratione digni-

gnitatis, beneficiive, de qua *in dict. cap. cum in cunctis*, *c. nihil* 44. *hoc tit. Clement.* 2. *de vita, & honest.* Suspensio ab officio, & beneficio dicitur, cum quis tam fructibus beneficii, quam exercitio ordinis privatur, quæ totalis, seu integra suspensio dicitur; de qua *in cap. Apostolica* 9. *de except. c.* 1. *de schismaticis*, *c. tuarum* 11. *de privileg. Clement.* 1. *de decimis*. Suar. *disp.* 25. *de censur. sect.* 3. *n.* 11. & ita suspensus non potest, quæ sunt ordinis exercere, *c.* 2. *de clerico excommunic. c.* 1. *de re judicata lib.* 6. nec quæ sunt jurisdictionis, ut conferre beneficia, *c. quia* 4. *de concess. prebend. cap. unico*, §. *cum vero, ne sede vacante, l.* 6. eligere, ex nostro textu, & *c. cum dilectus, de consuet.*

20 Suspensionis effectus.

Tertio circa effectus suspensionis sciendum est, suspensum ab officio omni usu ordinis, jurisdictionis, & administrationis clericalis privatum esse, simulque habilitate ad novum beneficium consequendum; prius vero obtento non privatur, quæ doctrina probatur ex nominibus, quibus suspensionem ab officio explicant PP. Concilii Nicæni *cap.* 1. ubi suspensionem appellant cessationem ab omni sacro ministerio; & Patres Synodi Trullanæ cessationem similiter vocant. D. Basilius *ad Amphilac. c.* 69. cessationem a ministerio dicit; & ex communi sententia, tam Theologorum, quam Canonistarum, ut ex Hugolino, Mario Alterio, & aliis refert Leander *de censur. tract.* 4. *disp.* 3. *q.* 3. non tamen suspensus ab officio privatur eo, sed tantum ipsius usu; suspensionis enim verbum non demonstrat extinctionem, seu ablationem, sed tantum impedimentum exercitii: quo in sensu eo verbo utuntur Felix II. R. P. *epist.* 2. Concilium Aurelian. 5. *can.* 5. & 17. unde dum suspensionem imponunt Patres, utuntur illis verbis: *Sequestretur*, *removeatur*; ut constat ex Concilio Aurelian. 3. *can.* 2. Brachar. 3. *can.* 1. Toletan. 13. *canon.* 11. Observant Morinus *l.* 2. *exercit. c.* 3. Gibalin. *de censura fol.* 316. igitur suspensus ab officio, suspensus est ab integro usu ordinis, *cap.* 1. *de re judicata*, *lib.* 6. & licet Gloss. *in c. audivimus* 24. *qu.* 1. *verbo qui excommunicatus*, existimaverit, suspensum ab officio non privari jurisdictione; contrarium tamen verius est, ut probatur *ex dict. cap.* 2. & extravaganti, *ambitiosæ de rebus eccles.* Docent Gibalin. *ubi supr. fol.* 317. Leander *dict. disp.* 3. *qu.* 3. qui exinde varias morales resolutiones deducunt. Similiter suspensus a beneficio, licet non privetur ipso; privatur tamen ejus fructibus, & integra administratione, *c. cum Vointen. hoc tit. cap. cupientes*, *eod. tit. in* 6. & licet teneatur deservire officio, si tamen fructus percipiat, restituere tenetur, *c.* 2. *de solut.* Illustrant Gibalin. *sup. fol.* 312. Leander *ubi proxime*, *c.* 26. *cum seq.*

21 Traditur decidendi ratio.

Ex quibus jam apparet vera decidendi ratio ad nostrum textum; nam cum electio, seu facultas ipsi eligendi spectet ad officium, quod tantum clericis, aut personis Ecclesiasticis convenit; ideo suspensus ab officio privatur suffragio in electione. Hugolinus *d. tab.* 4. *cap.* 7. §. 3. & *cap.* 8. §. 9. similiter quia privatur jurisdictione: sed potestas eligendi spectat ad jurisdictionem, *c. nostr.* 9. *hoc tit.* ergo suspensus ab officio eligere non potest, cum enim aliquid generaliter prohibetur, species generis prohibita intelligitur. *Clement. exivit*, §. *nam ubi v. s.* ideo electio facta a suspensis non valet, quia pro non dato habetur illud, quod datur a non habente potestatem, *c.* 2. *cap. pastoralis*, *de donationib.* sed si jus præstandi suffragium in electionem non competat ratione officii, sed beneficii, illud jus non amittitur per suspensionem ab officio, quia suspensus ab officio non privatur beneficio, aut ejus administratione. Docet Gibalin. *ubi supra*, *num.* 8. *fol.* 321.

22 Dissolvitur ratio dubitandi.

Non obstat dubitandi ratio supra adducta, nam procedit, cum suspensio non est ab officio, sed a beneficio, tunc enim suspensus non privatur facultate eligendi; nostra vero assertio procedit in suspensis ab officio, aut ab ordine; nam illi cum possint actum ordinis, vel officii exercere, utique nec ea, quæ dependent ab ordine, aut officio, ut actus eligendi, *Clement.* 2. *de aetat. & qualit.* quare nihil interest, an a jure, aut ab homine suspensio imponatur, quidquid velit Glossa, *verbo Suspensi*, *in c. cum dilectus, de consuet. & in cap. si celebrat*, *verbo Eligere*, *de clerico excomm.* omnia autem, quæ pro ratione dubitandi adduximus, procedunt in suspenso a beneficio, qui non privatur eis, quæ sunt ordinis, aut officii, ut supra dixi.

23 Exponitur c. cum in cunct.

Adhuc superiori assertioni obstat textus *in c. cum in cunctis* 7. §. *clerici*, *ult. hoc tit.* ubi agitur de clericis, qui scienter aliquem ad Episcopatum, vel inferiora Ecclesiæ ministeria elegerunt; contra formam in eo textu præscriptam; & Alexander III. ejus textus auctor, eos suspendendos esse, & potestate eligendi privandos decrevit: ex qua decisione colligitur, privationem juris eligendi, & suspensionem distinctas prorsus esse pœnas, alias frustra Pontifex post suspensionem inflictam adderet, *& privandos esse potestate eligendi*: igitur quia suspensio non includit in se privationem facultatis eligendi, ut alias arguebat Glossa *in c. cupientes*, *verbo benef. iis*, *hoc tit. in* 6. Cui difficultati ex supra dictis facile fit satis, supponendo textum illum loqui, & procedere in suspensis a beneficiis, non vero ab officiis; unde cum suspensus a beneficio, nisi aliunde privatus sit, eligendi potestate non careat; ideo Alexander III. in eo textu, ut suspensum a beneficio excluderet a facultate eligendi, distincte apponit pœnam suspensionis, & pœnam privationis facultatis eligendi, ut docet, & interpretatur illum textum Gibalinus *de censur. fol.* 343. *n.* 5. Sed huic solutioni adversatur textus *in c. quisquis*, *hoc tit.* in verbis ultimis, ibi: *Ab officiis & beneficiis penitus suspendantur, per triennium tunc eligendi potestate privati*. Ex quibus deducitur, in suspensis ab officio necessariam esse expressionem, ut suspensus eligi non possit. Cui difficultati respondendum est, in eo textu duplicem esse pœnam; una imponenda per judicem, nimirum suspensio ab officiis, & beneficiis; alia quæ incurritur ipso facto, nempe privatio potestatis eligendi pro tunc; quare ut diversa pœna debuit exprimi; quæ interpretatio aperte suadetur ex illis verbis, *Ab officiis*, *& beneficiis penitus suspendantur*, *eligendi tunc potestate privati*. Ubi notandum est, privationem eligendi poni in præsenti, suspensionem autem in futuro: at *in dict. cap. cum in cunctis*; utraque pœna suspensio videlicet, & privatio facultatis eligendi imponitur ipso jure, ac proinde frustra distinguerentur una ab alia, nisi diversæ essent. Præsensit Gibalinus *ubi supra fol.* 344. *in principio*.

CAPUT XVII.

Idem *Capitulo* a *Pennensi*.

QUaliter post obitum bonæ memoriæ Pennen. Episcopi Ecclesia vestra vacante, receptis prius super electione facienda litteris nostris *b* Primicerium vestrum vobis eligeritis in Pastorem, vos tamquam auctores electionis ipsius plenius cognovistis. Verum quoniam electus a vobis ante confirmationem obtentam administrationi Episcopatus se irreverenter immiscuit, & tam a Clericis, quam a Laicis juramenta recepit, non attendens quod secundum Apostolum nemo sibi debeat honorem assumere, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron: nec donum scientiæ Pontifici conveniens fuerat affectatus, cum juxta verbum Dominicum, qui fecerit, & docuerit, magnus vocetur in regno cælorum. Postquam nobis eumdem præsentastis electum, sufficienti examinatione præmissa, communicato fratrum consilio, electionem de ipso factam, exigente justitia duximus irritandam, quicquid ob eam, vel ex ea secutum est, denuntiantes penitus non tenere. Ne autem gregi Dominico diu desit cura pastoris, & ex defectu ipsius Ecclesia vestra incurrat dispendium & jacturam, universitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo, mandamus, quatenus convenientes in unum, sicut moris est, & Spiritus Sancti gratia invocata, virum idoneum, & qui vita, & scientia sit sufficiens, Pontificali oneri, & honori post receptionem præsentium infra mensem, in Patrem, & Pastorem animarum vestrarum per electionem vobis canonicam assumentes, electum ipsum nobis postea præsentetis, a nobis, ut dignum fuerit, vice Regia petituri consensum, & confirmationem auctoritate Apostolica recepturi. Alioquin aliquos ex vobis ad præsentiam nostram ex parte omnium transmitti volumus, & mandamus, secundum assignationem nostram Pastorem idoneum recepturos. Datum Later. XI. Kal. Octobris.

NOTÆ.

1 Pennensis urbs ubi.

a *Pennensi.*) Ita legendam est, ut etiam habetur in tertia collectione, *sub hoc tit. c.* 2. & in ipso Codice epistolarum Innoc. III. *fol.* 379. Penna perantiqua civitas est Italiæ, in Abruptio, cujus meminit Ptolomeus *l.* 3. *c.* 1. illamque Paulus Diaconus *l.* 2. *c.* 19. rejicit in Picenum: a Farnesianis Principibus hodie possidetur. Habet Ecclesiam Cathedralem jam a temporibus Apostolorum, quæ immediate paret Sedi Apostolicæ, & cui conjunxit Innoc. IV. Hadrianensem Episcopatum anno 1252. ut refert Ughell. *t.* 1. *Italia*, *f.* 48. De electione successoris in locum Anastasii ejus Episcopi, in præsenti agitur, & suffectus fuit Gualderic. Monachus Cisterciensis.

b *Primicerium.*) De Primicerii officio agimus *in c.* 1. *de officio Primicerii*.

COMMENTARIUM.

EX hoc textu talis deducitur assertio: *Electus ante confirmationem administrans, privatur jure quæsito per electionem; & electio cassatur*. Probant textus *in c. cum in cunctis*, §. *si vero*, *c. nosti* 9. *c. bona*, *c. nihil* 44. *hoc tit. c. cupientes*, §. *ceterum*, *c. avaritia*, *eodem tit. l.* 6. *extravagant. injunctæ*, *hoc tit. c. cum venerabilis* 7. *de consuet. c. iam* 18. *de prebend.* & alii citati in *c. postulasti*, *c. nosti*, *hoc tit.* Illustrant ultra congestos a Barbosa *in præsenti*, *& de potestate Episc.* 1. *p. tit.* 1. *c.* 4. *& de jure Ecclesiastico l.* 1. *c.* 19. *n.* 146. Julius Lavorus *tit.* 4. *de election. c.* 25. Layman *eod. tract. cap.* 19. Tam-

3 Conclusio probatur.

Tambur. *de jure Abbatum*, *t.* 1. *disp.* 6. *qu.* 1. plures relati a Solorzano *l.* 4. *polit. c.* 14. Pellizarius *qu.* 21. Garcia *t.* 2. *polit. tract.* 9. *difficultate* 6. *dub.* 1. Gibalinus *in synopsi censuar. littera E*, *nu.* 4. Lutherius *de re benef. l.* 2. *c.* 13. Michael. Roussellius *l.* 2. *histor. Pont. jurisd. c.* 24. *&* 25. Moez *ind. c. avaritia*.

4 Traditur ratio dubitandi.

Hæc assertio dubia redditur ex eo; nam certum est, per electionem tantum acquiri jus dignitatis, & officii, *c. cum inter*; 21. juncta ibi Glossa *hoc tit. cap. dilectissimi*, 8. *qu.* 1. *cap. quanto*, juncta Glossa, ibi: *verbo relato*, 63. *distinct.* Abbas *cons.* 47. sed nemo delictum committit, aut fraudem facit, qui suo jure utitur, *lib. nemo*, *ff. de reg. juris*: ergo electus, qui jure quæsito utitur, administrans bona suæ dignitatis, puniri non debet. Accedit, nam adeo verum est, per electionem jus ad dignitatem acquisitum esse, ut olim si conjugatus eligeretur in Episcopum, statim ab uxore recedere cogebatur, Div. Hieron. *ep.* 50. *ad Pammachium*, & ex eo notat Cironius *in hac tit.* igitur quia electus per electionem ita jus acquirit, ut ante confirmationem administrare possit. Augetur secundo hæc difficultas ex *cap. nosti*, *hoc tit.* ubi cum electus ante confirmationem administrasset, privatus non fuit quæsito jure per electionem.

5 Ratio decidendi.

Sed hac difficultate ita fulcita non obstante, vera est nostra decisio, ad cujus expositionem, præmissis traditis *in c. postquam*, 3. *c. nosti*, *c. transmissam*, *hoc tit.* sciendum est, confirmationem ex parte electi, ita necessariam esse, ut si ea omissa se ingerat administrationi bonorum, sive ut Prælatus, sive ut Oeconomus, sive ut procurator, privetur jure quæsito per electionem. Pius IV. in sua constitutione 86. quæ extat in Bullario: Alexander V. & Julius II. in constitutionibus relatis a Gibalino *ubi supra*; & ita decisum fuisse in Sacra Rota refert Farinacius *tom.* 2. *part.* 2. *decis.* 641. Tambur. *ubi supra*: imo si absque dispensatione Pontificis promoveatur ad aliam dignitatem, talis promotio censetur subreptitia, nec præstat verum titulum, ut resolvit Abbas in præsenti, *num.* 8. quæ doctrina procedit non solum in electo, verum in postulato, nominato, seu præsentato. Lotherius *quæst.* 13. *num.* 12. Tambur. *dict. quæst.* 1. *num.* 5. & in omnibus dignitatibus, & beneficiis expressis *in dict. cap. Avaritiæ*. Limitatur autem nostra decisio in eo, qui per ignorantiam, & cum bona fide se ingessit administrationi, ut decisum fuisse in Sacra Rota referunt Tambur. *d. qu.* 1. Barbosa *in dict. c. avaritia*, *num.* 4. ratio autem nostræ decisionis ex eo provenit, nam cum jure communi attento, post electionem sequi debeat confirmatio, *cap. postquam*, *hoc tit.* cum ibi traditis; per electionem enim tantum inchoatur spirituale conjugium inter Ecclesiam, & Prælatum, quod per confirmationem perficitur, *c. inter*, *de translat. Episcopi*; inde electus non confirmatus se immiscens administrationi Ecclesiæ, quia non vocatus, sed potius intrusus præsumitur, privatur jure quæsito per electionem[1], & inhabilis redditur ad eamdem dignitatem, ut sic puniatur, in quo peccavit, *c. nemo de temporib. ordin. l.* 6. Peccavit se immiscendo administrationi dignitatis, quam non habebat: privatur ergo & jure quæsito, & facultate obtinendi eam. Post Vivianum *in præsenti*, docent Lotherius, & Lavorus, *ubi supra*.

6 Dissolvitur ratio dubitandi.

Nec obstat ratio dubitandi supra adducta: nam licet verum sit, per electionem jus ad dignitatem acquiri, illud tamen tantum est in habitu, non vero in actu: per electionem acquiritur jus administrandi sine exercitio, quod confirmatio præstat; & sic cum jus illud sit sine effectu, inde administrationi se immiscens ante confirmationem, tamquam intrusus, privatur jure quæsito: nec obstat text. *in d. c. nostri*, *hoc tit.* supra expensus, pro cujus interpretatione videnda sunt, quæ in ejus commentario adduximus pro rationis dubitandi solutione.

7 Exponitur c. indemnitatibus.

Obstat præsenti decisioni textus *in c. indemnitatibus*, §. *ceterum*, *& §. si vero*, *de elect. in* 6. ubi sæpe sæpius decidit, electam Abbatissam, & nondum confirmatam, posse impune res Monasterii administrare: igitur quia ante confirmationem se immiscens administrationi non privatur jure quæsito per electionem. Sed hujus textus decisio specialiter procedit in Abbatissa, quæ non a duabus partibus, sed a majori impugnatur, ne confirmetur, quæ interim potest administrare, non tamen aliquid ex rebus Monasterii alienare, vel moniales recipere: cujus specialitatis rationem considerat Julius Lav. *d. c.* 24. *n.* 25. Quæ huic commentario desunt, petenda sunt ex traditis *in c. postquam* 3. *c. nosti* 9. *c. transmissam*, *hoc tit.*

CAPUT XVIII.

Idem *Capitulo* a *Capuano*.

CUm inter universas Metropoles Capuana sit Apostolicæ Sedis vicinior, ad provisionem ipsius specialius aspiramus, talem ipsi personam præfici cupientes, quæ sicut alios Metropolitanos loci vicinitate, sic & devotionis affectu præcellat: per quem & ipsa Metropolis tam in spiritualibus, quam *b* temporalibus optatum suscipiat incrementum. Intelleximus autem per dilectos filios L. & P. Canonicos vestros, & litteras, quas ad Sedem Apostolicam detulerunt, quod ad Decanum, & alios Canonicos vestros *c* Panormi manentes, cum ex eorum parte vobis fuisset per litteras intimatum, ut Ecclesiæ Capuanæ damna pensantes, sic tractaretis super electione substituendi Pastoris, quod nullum deberetis in eorum absentia nominare, quemdam socium vestrum cum *d* litteris destinastis, duodecim dierum terminum assignantes, infra quem post receptionem litterarum vestrarum iter arripperent redeundi: quamvis Ecclesiastica consuetudo non exigat, ut ad electionem Pastoris Canonici tam remoti vocentur, & illi præcipue, qui longe, antequam vos, Metropolitani vestri obitum præsentialiter cognoverunt, quorum aliqui post ejus decessum ad Capuanam Ecclesiam sunt reversi. Quia vero mora longior in electionibus est valde suspecta, imo sæpe damnosa, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus invocata Spiritus Sancti gratia, personam idoneam per electionem canonicam concorditer assumatis ad regimen Ecclesiæ Capuanæ: consequenter ad nostram præsentiam nuntios idoneos transmissuri, per quos a nobis vice *e* regia postuletis assensum, & Apostolicæ confirmationis *f* gratiam requiratis; attentius provisuri, ut eo discretionis, & charitatis studio procedatis, quod nec in electione vitium, nec in *g* electo defectus valeat inveniri: alioquin & factum electionis revocaremus in irritum, & personas eligentium puniremus.

NOTÆ.

1 Capua ubi.

a *Capuano.*) Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. c.* 3. *& in ipso Cod. epistolar. Innoc. III. l.* 2. *fol.* 381. ex quo litteram textus restituo. Capua Civitas est antiquissima Campaniæ, caput aliquando Italiæ, ut refert Titus Liv. *l.* 4. *hist.* Ceepius diruta a Romanis, & Gothis; denuo a Longobardis ex illius ruinis reædificata, cujus nominis rationem assignat Liv. *d. l.* 4. his verbis: *Eo anno Vulturnum Hetruscorum urbs, quæ nunc Capua est, a Samnitibus capta, Capuaque a Duce eorum, vel quod proprius est, a campestri agro est appellata*. Illustrat Lælius Bilciola *l.* 11. *horar. successiv. cap.* 15. Et Civitas Archiepiscopalis a temporibus Jo: XII. qui cum in ea exularet, postea memor beneficiorum, quæ ibi acceperat, Archiepiscopali decoravit titulo an. 968. ut refert Baron. *in eo an.* Alia de Capua notarunt Fridericus Scot. *in itiner. Ital. p.* 3. *pag.* 209. Tamajus a Salazar. *t.* 2. *Martyrol. Hisp. die* 15. *Mart.*

b *Temporalibus.*) Licet aliquo tempore Capua ad patrimonium Ecclesiæ Romanæ spectasset, ex donatione Caroli Magni, Ludovici, & Othonis, cujus verba refert Cohelius *in notitia Cardin. c.* 15. *congreg.* 21. tamen labente tempore Capuæ principatus ad Regem Siciliæ pervenit: sed quia Innoc. III. tamquam tutor Friderici II. Regnum Siciliæ, & Principatum Capuæ regebat, ideo in temporalibus etiam curam Capuæ habebat, ut infra dicemus.

2 Panormus ubi.

c *Panormi.*) Panormus urbs est omnium totius Siciliæ maxima, ac splendidissima, Regni caput, ut refert Philippus Cluverius *l.* 2. *Sicilia*, *c.* 3. Colonia Romanorum, teste Strabone *l.* 6. cujus initium refert D. Rochus Pirro *to.* 1. *Sicilia Sacra*, *notitia* 1. Dicta est etiam Civitas hæc Panhormus, Panhormum, & Panhormium, a navium appulsu, quæ undique ad ejus portum accedunt: hormus enim est portus pars: unde nautæ dicuntur hormizare, idest navem anchoris, & retinaculis instruere, ut secura sit a procellis in portu: hinc Panhormita, Panhormitanus, & Panhormius. De hujus urbis antiquitate videndus est etiam Ptolemeus *l.* 3. *c.* 4. Habet Ecclesiam Cathedralem B. Mariæ dicatam, & auctoritate Divi Gregorii consecratam, ut ipse testatur *l.* 12. *indict.* 7. *epist.* 4.

d *Litteris destinastis.*) Istarum litterarum ad convocandos electores absentes refert ex veteri formulario instrumentum Petrus Grey. *de elect. c.* 14. in hæc verba: Fratres N. talis Ordinis S. (puta) Benedicti ad R. Curiam nullo medio pertinentis, & Frater N. humilis Prior claustralis N. cujusdam Monasterii, & curam ipsius gerens Sede Abbatiali vacante, dilectis correligiosis, & fratribus de N. & Prioratuum, & membrorum a Monasterio dependentium respective, salutem a Domino: Cum bonæ memoriæ Dominus N. Abbas ipsius Monasterii novissimus, die 4. (puta) præsentis mensis Dec. (quod non sine grandi mentis amaritudine referimus) naturæ solvens debitum, spiritum suum reddiderit Creatori: nos ipsius corpore tradito reverenter (ut decuit) sepulturæ Ecclesiasticæ, nolentes dictum nostrum Monasterium existere Pastoris diutius solatio destitutum, diem Lunæ post festum D. 24. mensis Januar. proxime futuri, cum intimatione omnium dierum sequentium concorditer præfiximus ad electionem Pastoris, & Abbatis in dicto Monasterio, & Capitulo nostro celebrandam, & alia omnia peragenda, quæ ipsius electionis negotium contingere dignoscuntur. Ut igitur ignorantiam super hoc prætendere nequeatis aliquam, vobis, & cuilibet vestrum, & omnibus, & singulis correligiosis præfixionem hujusmodi duximus intimandam, vosque, & quemlibet vestrum tenore præsentium citamus, & vobis manda-

mus, quatenus die dicta Lunæ N. mane, hora Capituli (quam diem, & horam cum omnibus sequentibus, quousque ipsius electionis negotium fuerit expeditum, vobis harum serie assignamus, & præfigimus) ad Monasterium nostrum interesse, veniatis, & compareatis, una nobiscum de electione futuri Abbatis, dante Domino, eligendi, ac in ipso electionis negotio modo debito processuri; alioquin vobis non expectatis, nec ulterius, si prædictus terminus per nos fuerit prorogatus, convocatis, in hujusmodi negotio procedemus, absentia vestra non obstante: ad istas autem litteras vobis, & cuilibet vestrum præsentandas, & intimandas, dilectos nostros D.D. duximus specialiter deputandos: & in signum mandati nostri suscepti, & nuntiorum, quilibet præsentibus Capitulo per se manu propria, vel per alium subscripsit, vel sigillum suum apposuit. Datum in Capitulo nostro sub sigillo nostro communi, una cum sui notarii subscriptione, &c. die, anno, &c.

7 e *Vice Regia*.) Circa hujus clausulæ expositionem varie cruciantur repetentes *hic*. Abbas Siculus, Abbas Panor. Hostien. & Butrius *n.* 4. ignari historiæ hujus temporis Innoc. III. varie hallucinantur, quorum sententiis omissis, ut veram interpretationem assigneimus, sciendum est Innoc. III. auctorem hujus textus, fuisse tutorem Friderici II. pupilli, & Regis Siciliæ, & sic regnum ipsum, tam in spiritualibus propria auctoritate, quam in temporalibus tutoria rexisse, ut referunt Spondan. post Baron. *ann.* 1198. *nu.* 6. D. Rochus Pirro *t.* 1, *Siciliæ Sacra*, *c. de elect. Præsul. n.* 6. & ex eis observavit, qui ignoravit nihil, Illustriss. D. Francisc. Ramos in memoriali sæpe citato, & semper laudando, *pro Episcopo Lusitan. propos. ult.* §. 5. unde in illis electionibus, in quibus Rex Siciliæ, si adultus esset, præstaret assensum tamquam patronus Ecclesiarum Cathedralium sui Regni, Innoc. tamquam tutor præstabat assensum vice regia, quod etiam constat ex alia epistola ipsius Innoc. missa ad Clerum, & populum Regiensem, in hæc verba: (Cum dilectus filius G. S. Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis, cui vices nostras, tam super Balio Regni, quam officio Legationis commiseramus, apud Messanam pro ipsius Regni negotiis moraretur, dilecti filii Canonici Regienses eidem obitum bonæ memoriæ Regiensis Archiepiscopi, tam per litteras, quam per Canonicos suos nuntiarunt. Postmodum autem ad propria revertentes, & convenientes in unum, invocata Spiritus Sancti gratia, vota sua in Vener. Fr. nost. L. tunc Regiensem Archidiaconum contulerat, eumdem sibi unanimiter eligentes in Patrem suum pariter & Pastorem: cumque ad prædicti Cardin. præsentiam accessissent, ut ab eo tam assensum, quam confirmationem etiam obtinerent, ipse assensum eis regia vice concedens, & electionem examinans, cum eamdem invenisset canonice, & de persona idonea celebratam, auctoritate Apostolica confirmavit, &c.) Item liquet *ex ep.* 132. *l.* 2. *ad pop. Cap.* & *ep.* 244. ex gestis Innoc. III. *pag.* 10. & 20. notavit Florens *ad tit. de elect.* Hujus notitiæ oblitum cerno Michaelem Rousel. *l.* 2. *Histor. Pontif. c.* 7. *num.* 40. ubi tamen meminit Constantiæ Henrici VI. viduæ, quam tutricem dicit Friderici II. pupilli, narratque in manibus Innoc. III. renuntiasse juri præsentandi Prælatos in Regno Siciliæ; quod jus repetiit tamquam injuste extortum Fridericus jam vir, & Imperator factus. Eodem modo accipiendus est textus antecedens in illis verbis, *vice regia*.

6 f *Gratiam*.) Confirmatio electionis, tam ex parte confirmandi, quam confirmantis, non gratia, sed justitia est; siquidem ex necessitate provenit; unde qui confirmat, non beneficium, sed debitum impendit, *c. postquam* 3. *hoc tit. c. fin. hoc tit. in* 6. nec qui confirmat, donat aut liberalitatem exercet, *c. inter dilectos, de fide instrum.* docet Lavorus *de elect. c.* 25. *n.* 28. & electus potest petere per se, aut per procuratorem ex justitia confirmationem, argumento text. *in c. nullus, de suspatr.* & confirmante in confirmatione cessante, potest conqueri coram superiore. Tamb. *t.* 1. *de jure Abbat. dis.* 6. *q.* 1. & *q.* 3. *nu.* 3. Peyrin. *de subditoc.* 3. §. 6. *in fin.* Garcia *t.* 2. *tr.* 9. *diffic.* 6. *dub.* 2. Barb. *vot.* 97. *n.* 70. igitur non recte Innoc. confirmationem gratiam appellat. Huic difficultati respondendum est, Pontificem ex gratia electos confirmare, quia si nolit confirmare electionem, non habet superiorem, a quo cogatur; quare omnia, quæ facit Sedes Apostolica, ex gratia facere dicitur *in c. Sedes, de rescriptis*.

g *Electio*.) In hoc casu electus fuit in Archiepiscopum Capuanum R. cujus mentio fit *in c.* 2. *ne sede vacante*.

7

COMMENTARIUM.

8 EX hoc textu talis communiter deducitur assertio; *Ad electionem vocari debent absentes, si intra provinciam sunt; valde autem remoti, si commode citari possint*. Probant text. *in c. quanto,* 63. *d. c. humilis, de majorit. & obed. c. obeuntibus, c. in Genesis, c. bona* el 2. *c. quod sicut* 28. *c. coram* 35. *c. quia propter*, §. *illud*, *c. venerabilem* 34. *hoc tit. c. cum olim* 7. *de arbitris*, *c. constituti*, 45. *de appel.*, *c. quamvis, de officio ordin. l.* 6. *c. cum in Ecclesiis*, 33. *de prab. eod. l.* Trid. *sess.* 25. *de regul. n.* 6. Illustrat ultra laudatos a Barbosa *in præsenti*, & *l.* 1. *juris Eccl. tit. de election. n.* 89. & *de Canonicis t.* 39. & *vot.* 47. *n.* 168. Petr. Greg. *de elect. c.* 14. Julius Lavor. *c.* 17. *de elect.* Tamb. *de jure Abbat. t.* 1. *dis.* 5. Suar. *t.* 4. *de relig. tr.* 2. *c.* 5. Samuel *tract.* 1. *de elect. disp.* 2. *controver.* 3. Lugo *respons. moral. lib.* 14. *cap.* 24. Garcia *tom.* 1. *tract.* 9. *diffic.* 3. *dub.* 5. Vischerus *de elect. Regis, concl.* 20. *fol.* 79. Dartis *de benef. sect.* 6. *cap.* 1. Altesserra *in præsenti*.

Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti consideratione; Non solum absentes intra Provinciam, verum & valde remoti, ad electionem sunt vocandi, nam invitis his, quorum interest, non est dandus Episcopus, *c. nullus*, 61. *d.* & quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, *l. fin. ff. de auctor. tutor.* & præsentibus omnibus, quorum interest, de unoquoque negotio tractandum est, *l. de unoquoque*, *ff. de re judic. lib. non ita* 39. *ff. de adopt. l. etiamsi* 29. §. *fin. ff. de minor.* Facit textus *in l. curialis* 2. *Cod. de decurion. l.* 10. ibi: *Ubi tractatur publica utilitas, remoti sunt vocandi*; alias non vocati electores contempti videntur, & tunc potior est causa unius prohibentis, quam majoris partis eligentis, *lib. Sabinus* 20. *ff. communi dividendo*: igitur in nostro casu etiam valde remoti erant vocandi. 9 Ratio dubitandi.

Sed hac difficultate minime obstante, vera est nostri textus decisio, ad cujus expositionem sciendum est, mortuo Prælato, & ejus corpore humato, electores de futuri Prælati electione agentes, congregari debere in loco honesto, & consueto, atque præfinire diem ad successorem eligendum, & tunc præsentes absentibus litteras, aut nuntium mittere debere, ut cuncti absentes sciant vacantem esse Ecclesiam, & simul diem electionis præscriptum: quæ omnia litteris comprehendenda sunt, quarum exemplar retuli supra ex veteri formulari. Vocandi autem sunt absentes, si sint intra Provinciam, sive venire possint, sive non. Innoc. *in d. c. quia propter*, §. *illud*: si vero in loco remotiori degant, & commode vocari possint, atque expectari, vocandi sunt, ex nostro textu. Vocari etiam debent absentes causa studii, si sint in loco, ex quo venire possint. Panor. *in c. bona*, *el* 2. *hoc tit.* & illi, qui sunt in possessione præbendæ, quamvis illis mota sit quæstio proprietatis, *c. in Genesis*, ubi Abbas *n.* 5. *hoc tit.* & si absentes vocati non comparuerint intra præfixum tempus, ut interfint electioni, præsentes ad eam procedere possunt, non obstante illorum absentia, *c. quod sicut* 28. *hoc tit.* Quid tamen, si major pars absuerit, minor autem præsens sit? disputant Petr. Gregor. *d. c.* 14. *de elect.* Lavorus *d. c.* 17. sed si illis vocandis non vocatis electio facta sit, ipso jure sustinetur; cassanda autem est, dummodo absentes de contemptu agant, & non aliter; etsi unus tantum contemptus sit, *desit. c. quod sicut*, ubi Abbas *n.* 4. plus enim in hac specie operatur unius contradictio, quam plurium electio, *c. bona* 36. *hoc tit. l. si in tres*, *ff. de arbitris*; & quia talis electio non est nulla ipso jure, sed irritanda; ideo necesse est, ut absens contemptus petat cassationem ante illius confirmationem, *c. fin. hoc tit. in* 6. Anton. Cuchus *lib.* 4. *institut. tit.* 5. *num.* 51. Lavorus *ubi supr. num.* 14. sed si major pars absens vocata non sit, electio ipso jure nulla est, quia de essentia electionis desideratur, ut major pars vocetur, *cap. audisti, hoc titul.* Illud tamen summe notandum est electione cassata, quia unus ex absentibus contemptus est, ideo electores non privari facultate eligendi, nec electionem devolvi ad absentem, vel superiorem; sed posse iterum eligere electores etiam ipsum, quem jam elegerant, docet Petrus Gregorius *de elect. cap.* 14. 10 Absentes sunt vocandi.

Circa inhabiles, eos videlicet, qui propter delictum, aut censuram privati sunt facultate eligendi, dubium est apud Interpretes. Et dicendum, quod si delictum ita est manifestum, ut nulla possit tergiversatione celari, tunc non esse vocandos; & quamvis vocati sint, non debent expectari; *c. cum inter, de elect.* unde si absentes sint excommunicati, suspensi, vel interdicti notorii, non sunt vocandi. Similiter nec illi, qui quamvis adessent, eligere non possent, propter defectum ordinis, vel ætatis, *c. ex eo de elect. l.* 6. *Clem.* 1. *de regul. c. ut hi qui, de stat. & qual.* quæ doctrina procedit, etsi nondum sit discussum, an inhabiles privandi sint, cum sufficiat, ut possint postea convinci. Docent Lavorus *d. cap.* 17. *num.* 7. Barbosa *n.* 89. Garcia *ubi sup. n.* 4. servanda tamen consuetudo est illius Ecclesiæ, de cujus Pastore substituendo agitur, *c. in Genesis, hoc tit.* Glossa *in cap. coram* 35. *hoc titul.* 11 Inhabiles non sunt vocandi.

Ex quibus dignoscitur vera decidendi ratio ad nostrum textum; qui enim in Provincia sunt, vocari debent ad electionem faciendam, sicut vocantur ad alia negotia ardua. Pelinus *in c. cum omnes, de constitut. c. quamvis, de Offic. ordin. in* 6. Accedit, quia fructus præbendæ consistunt etiam in suffragio præstando, & jure eligendi, ut de Episcopo docetur *in cap.* 2. *ne sede vacante*; ergo absentes intra Provinciam vocandi sunt ad electionem; qui vero remoti sunt, & commode vocari, & expectari non possunt, vocandi non sunt, quia periculum est in mora, *disk. c. in Genesis, c. bona* 36. *hoc tit.* periculum enim adest, quia absentibus extra Provinciam dilatio concedenda est juxta distantiam locorum, a quibus fit evocatio; veluti si ex Provincia assignentur tres menses; extra, sex; & trans mare, novem, juxta legem primam *Cod. de dilation.* atque ita si absentes expectarentur, diu vacaret Ecclesia, cum gravi ejus damno, tempusque electionis elaberetur, *cap. ne pro defectu, hoc tit.* Unde recte in præsenti textu decidit Innocentius, absentes extra Provinciam vocandos non esse, si commode vocari, & expectari non possunt; intra Provinciam vero degentes, vocandos, & expectandos esse. Sed si non vocandi vocentur, expectandi sunt usque ad diem præscriptam, nisi incommodum inde Ecclesiæ sequatur, ut resolvit Lugo *respon. moral. lib.* 14. *cap.* 24. & si absentes accesserint, etiam post scrutinium possunt ad electionem admitti, *cap. Ecclesia, cap. sicut, hoc tit.* Nec obstat dubitandi ratio supra perpensa; nam procedit in præsentibus, & 12 Ratio decidendi.

absen-

absentibus, qui commode vocari valent: si vero ita remoti sint, ut non ita commode vocari possint, vocari non debent, ex ratione proxime adducta, damni videlicet, quod Ecclesia sequitur; quæ ratio, ut validior, firmiorque, vincit aliam pro dubitandi ratione expensam.

13 Exponitur cap. cum olim, de re judic.

Sed obstat textus *in c. cum olim* 12. *de re judic.* in ultimis verbis, ibi; *Archidiaconatum plena omnium vestrum, qui præsentes fuerint in Ecclesia, interveniente concordia ordinaveritis*. Ex quibus deducitur, absentes ad electionem non esse vocandos, sive remoti sint, sive intra Provinciam: ergo non recte asserimus, absentes intra Provinciam esse vocandos. Glossa ibi, *v. Præsentes*, ut huic difficultati satisfaciat, asserit in eo textu consuetudinem introductam esse, ut absentes non vocarentur; quare ratione præscriptæ consuetudinis, tantum præsentes admitti ad eligendum. Sed hæc solutio convincitur, quia consuetudo in hac parte tantum attenditur circa valde remotos vocandos, vel non, *c. coram c. in Genesis, hoc tit.* & absentes intra Provinciam semper vocandi sunt, ut ex nostro textu, & similibus: quare hac solutione omissa, verius dicendum est, quod cum in ea specie collatio Archidiaconatus devoluta esset ad R. Pontificem, restituendo eam, & denuo concedendo Capitulo, potuit coarctare eam ad præsentes, & interessentes, ut possint ipsi tantum eligere Archidiaconum; ita Panor. *ibi, n.* 9.

Ex supra traditis accipit lucem textus *in c. quod sicut* 28. *hoc tit.* ubi asserit Innoc. quod si ad electionem Præsulis Armachani vocati fuerunt absentes, qui sine periculo potuerunt vocari (quia ex nostro textu vocandi non sunt, qui commode vocari nequeunt,) & illi venire nequiverint, quia intra tempus designatum non venientes, amplius expectandi non sunt, electio a præsentibus celebrata valida est: si vero eos non fuisse vocatos constiterit per litteras, aut per testes (vocatos enim fuisse Capitulum debet probare, *c. Albericus, de testib.* quia vocatus nemo præsumitur, nisi probetur, *c. sacro* 48. *de sent. excom.*) electio infirmabitur, nisi absentes superveniant, & illi consentiant: qui textus debet accipi, quando non vocati fuerunt pauci, & postea supervenientes consentiunt: si vero major pars absens contempta esset, etiam ex postfacto consentiens, non ideo convalescit electio, quæ ipso jure nulla fuit, cum de essentia electionis sit, ut major pars electorum vocetur, ut docet Garcia *ubi sup. n.* 6. 14 Intelligitur caput quod sicut 28. hoc tit.

CAPUT XIX.

Idem *Archidiacono, & Capitulo* a *Capuano*.

CUm olim nobis de obitu bonæ memoriæ Archiepiscopi Capuani, tam per vestras litteras, quam nuntios constitisset; volentes prout officii nostri sollicitudo deposcit, in Pastorem provideri celerius Ecclesiæ viduatæ, vobis dedimus in mandatis: ut electionem canonicam de persona idonea faceretis, per quam in spiritualibus & temporalibus Capuana Ecclesia posset congrue gubernari. Vos autem mandatum nostrum suscipientes humiliter & devote, statuto die in Metrop. Ecclesia convenistis: & cum ad tractandum de facienda electione in Capitulo sederitis, & tu filii Archidiacone hymnum ad invocandam Spiritus Sancti gratiam incepisses, dilectus filius M. Archidiaconus Theat. Canonicus Capuanus silentium indicens sic ait; Dominus Papa, ut faceremus canonicam electionem præcepit; & ergo ne fiat nisi canonica, interdico, & ad ipsum vocem appellationis emitto. Cumque a quibusdam vestrum quæsitum fuisset ab Archidiacono memorato, quid intelligeret per canonicam electionem, respondit: Ut secundum decreta canonica nullus in Episcopum de aliena eligeretur Ecclesia, donec in propria posset idoneus inveniri; & sic aliquantulo facto tumultu, cum tu, fili Archidiacone, hymnum iterum incepisses, ipse Archidiaconus Theatinus cum quibusdam complicibus suis choro exivit, & cœpit in quodam angulo Ecclesiæ commorari, & vos hymnum solemniter in choro complevistis. Deinde cum post invocatam Spiritus Sancti gratiam foret de electione tractandum, unum Presbyterum, & unum Diaconum, & alium Acolytum vicem gerentem Subdiaconi, qui etiam est Cancellarius Ecclesiæ Capuanæ, ut vota singulorum seriatim perquirerent, elegistis: qui universorum perquirentes diligentius voluntates, vos omnes, qui ad eligendum in Capitulo remansistis, invenerunt in electione concordes, dilectum filium R. Subdiaconum, & L. Capellanum nostrum, filium dilecti filii nobilis viri P. Comitis Celanensis, unanimiter nominantes. Demum vero prædictum Archidiaconum, & qui cum eo exierant, per quosdam de vestris admonere curastis, ut ad electionem accederent faciendam; sed cum ipsi venire penitus recusassent, & diceret idem Archidiaconus, quod non ei feceratis tantum honoris & gratiæ, quod vobiscum vellet in electione facienda persistere, vos publicata electione vestra, cantastis Te Deum laudamus, & pulsari fecistis cum solemnitate campanas, ut quod per vos factum fuerat, innotesceret civitati: ad quarum sonitum cum universus populus ad Ecclesiam advenisset, & audissent, qualiter a vobis electio fuerat celebrata, factum vestrum communiter approbarunt, & quidam eorum, ut Archidiaconum & alios, qui ab electione discordabant, ad concordiam revocarent, multipliciter institerunt. Verum ipse Archidiaconus, ut proponitur, se tunc ipsi electioni minime consentire, & in nostra præsentia suum assensum ipsi velle præstare respondit: quod etiam, sicut dicitur, sæpe & sæpius in multorum præsentia replicavit. Tu vero, fili Archidiacone, cum multis de Canonicis Capuanis decretum electionis afferens eligentium subscriptionibus roboratum, ad nostram præsentiam accessisti, & cum apud nos fuissetis aliquamdiu commorati, Canonici Capuani pro parte adversa post aliquot dies nostro se conspectui præsentarunt. Vobis igitur, & ipsis in nostra, & Fratrum nostrorum præsentia constitutis, utrique partium præcepimus dicere veritatem; & quantum quidem erat in narratione facti, usque ad exitum Archidiaconi prælicti de choro, neutra partium discordabat. Dicebant tamen Clerici antedicti, quod multi, qui exierant cum Archidiacono, minis & terroribus fuerant inducti electioni a vobis postmodum factæ consentire. Cumque tam a vobis, quam a Clericis illis quæsiverimus diligenter, quot erant Clerici Capuani, qui electioni debuerant interesse, inventi non fuistis in responsione discordes; sed tam vos, quam ipsi certum super hoc numerum designastis: & cum quæreremus sollicite, quot exierant cum Archidiacono Theatino, cum appellationem opposuit, interpositæ appellationi faventes; licet in hoc a vobis præfati tres Clerici discordarent, quod duodecim, vel tredecim ad plus de Canonicis ab electione facta proponerent dissentire; & vos eos esse quinque, aut sex solummodo diceretis; secundum tamen expressum a vobis, & ipsis Canonicorum numerum tres partes, & amplius erant in electione concordes, si etiam prædictorum Clericorum assertio vera esset, quod tredecim Canonici dissentirent. Quamquam autem, ut prædiximus, diligenter inquisivimus publice veritatem, ne tamen aliqua videremur omittere, de quibus fides nobis erat plenior exhibenda, per quosdam de fratribus nostris sigillatim vos, & ipsos Clericos examinari præcepimus, ut quisque vestrum coram ipsis plenius, & securius exponeret voluntatem; qui non aliud, quam ante propositum fuerat, invenerunt. Interrogati vero Clerici antedicti, qui se quorumdam Canonicorum dixerant minis, & terroribus ad consentiendum inductos, si viderunt aliquibus quamlibet coactionem inferri, taliter responderunt, quod post factam electionem audiverunt quosdam de Canonicis aliis comminantes, & dicentes: De civitate trecenti vocentur armati, & tunc apparebit, quis electioni nostræ noluerit consentire. Sed licet hoc dictum fuerit, non viderunt tamen propter hoc aliquem cum armis venientem ipsis coactionem aliquam intulisse. Cum autem ex utriusque partis assertione constaret, interpositam fuisse appellationem canonicam, quando ne fieret electio nisi canonica, secundum mandati tenorem, ad nostram fuit audientiam appellatum, videri poterat, quod post eam medio tempore nihil debuerit innovari: unde talis electio judicanda erat irrita & inanis, ut post appellationem canonice interpositam attentata; & econtra cum appellatum fuisset, non ut nulla fieret electio, sed ut fieret canonica, si factum electionis canonicæ fuit subsecutum, non utique contra formam appellationis hujusmodi, sed magis secundum eam videbatur esse processum; & ideo licet post appellationem, tamen contra fuit eadem electio celebrata, propter quod non erat aliquatenus irritanda. Nam cum duæ partes, & amplius electioni consenserint, & consentiant, licet cautum reperiatur in *b* canone, ut tunc alter de altera eligatur Ecclesia, cum nullus in propria fuerit repertus idoneus; quia tamen hoc in favorem introductum est Clericorum, & cuique licet *c* renuntiare juri, quod pro se noscitur introductum; vos qui duæ partes eratis, & amplius, cum quod duæ partes Capituli faciunt, totum facere doceatur, in hac parte juri, quod pro vobis facere videbatur, renuntiare potuistis, & electionem de persona alterius Ecclesiæ celebrare; præsertim cum illud decretum locum videatur habere, quando Clericis renitentibus & invitis, per alicujus violentiam potestatis extraneus

ingeritur ex adulterio, propter quod sequitur in decreto, ut sit facultas Clericis renitendi, si se viderint prægravari; & quos ingeri sibi viderint ex adverso, non timeant refutare. Præterea cum Sedes Apostol. Caput omnium Ecclesiarum existat, & R. Pontifex judex sit ordinarius singulorum, quando de ipsa quis assumitur in Prælatum alterius, ei posse objici non videtur, propter capitis privilegium, quod obtinet plenitudinem potestatis, quod de alia Ecclesia eligatur, cum a capite membra reputari non debeant aliena. Item cum post appellationem emissam, ut non fieret electio, quia talis appellatio nulla foret, sed ut fieret canonica, dictus Archidiaconus Theatinus cum suis fautoribus chorum exiisset, & vos illos, ut interessent electioni faciendæ vobiscum, curassetis sollicite revocare, quoniam ad electionem faciendam accedere noluerunt, alienos se fecisse videntur; propter quod electioni a vobis concorditer celebratæ de jure non posse contradicere videbatur; præsertim cum idem Archidiac. postea requisitus responderit, quod in præsentia nostra vellet suum ei præbere consensum, & ideo cum secundum statuta Later. Concilii, app. remota semper id debeat prævalere, quod a pluribus & sanioribus fuerit ordinatum, nisi forte a paucioribus & inferioribus aliquid rationabile objectum fuerit & ostensum; a vobis celebrata electio, tamquam a majori & saniori parte, non obstante contradictione, vel appellatione paucorum, debebat, & poterat rationabiliter confirmari, cum id quod objectum existit & ostensum, rationibus præmissis appareat rationabile non fuisse. His taliter allegatis, quamquam contra personam illius, quem elegistis, nihil unquam dictum fuerit vel objectum: quia tamen verbum Apostoli dicentis: Nemini cito *d* manum imponas, debemus attendere, diligenter ad ea, quæ circa personam inquirenda fuerant, duximus ex officio nostro (sicut decuit) procedendum. Et quia cum tria sint in persona electi præcipue requirenda, videlicet ætas legitima, morum honestas, & litteratura sufficiens; licet de honestate morum, tamquam ei, qui nobiscum est aliquandiu laudabiliter conversatus, possimus ipsi laudabile testimonium perhibere: illius quoque litteraturæ, licet non eminentis, tamen convenientis existat, ut pro defectu scientiæ (sicut plenius intelleximus ab his, qui eum melius cognoverunt) ab electione non deberet excludi, de legitima tamen ætate plene scire *e* non potuimus veritatem, de qua nec vos (ut accepimus) aliquid cogitastis: & cum a multis, cujus ætatis existeret, curaverimus indagare, a nemine unquam audivimus, quod annum trigesimum attigerit. Cum autem secundum prædicti statuta *f* Concilii nullus debeat in Episcopum eligi, qui trigesimum ætatis annum non egerit, licet senectus venerabilis sit, non diuturna, nec annorum numero computata, sed cani hominis sint sensus ejus, & ætas senectutis vita immaculata: quia tamen post illa tria, quæ Salomon asserit difficilia, quartum quasi reputet impossibile, viam videlicet viri in adolescentia sua, tamquam investigari non possit; nos Ecclesiæ pariter & personæ providere volentes, & tam rationes, quam canones observare, habito super hoc cum fratribus nostris diligenti tractatu, quia propositum vestrum providum intelleximus, & ideo propter urgentem necessitatem, & evidentem utilitatem Ecclesiæ Capuanæ, quam in hac parte potius approbamus, volumus ipsum firmiter perdurare, præfatum Subdiaconum nostrum de communi fratrum consilio vobis in procuratorem concedimus, liberam administrationem ei tam in spiritualibus, quam in *g* temporalibus committentes. Quapropter discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus eum suscipientes humiliter & devote, ipsi curetis plenarie de spiritualibus & temporalibus respondere, ut & ipse profectum & honorem Ecclesiæ Capuanæ valeat studiosius procurare, & dilectionem, quam vos ad eum habere proponitis, in exhibitione operis experiri. Speramus enim in Domino, quod sicut ei dedimus in mandatis, taliter in commissa sibi procuratione proficiet, quod sibi salutem, vobis utilitatem, & nobis comparabit honorem. Datum Laterani.

NOTÆ.

1 a *Capuano*.) Ita legitur in ipso Codice epistolarum Innocent. Coloniæ edito, *pag.* 435. ex quo litteram textus restitui; sed legendum est, *Archiepiscopo*, ut habetur tam in hac, quam in tertia collectione, *ubi sup. hoc tit. cap.* 4. reperitur textus hic. De Ecclesia Capuana ergo in textu antecedenti.

2 b *In Canone*.) Ut tunc de altera Ecclesia eligi valeat Prælatus; jure enim communi ex propria congregatione sumi & eligi Prælatus debet, *c.* 1. ubi probavi, *hoc tit.* Consuetudine etiam introduci potest, ut de aliena Ecclesia Prælatus eligatur, *c. cum dilectus, de consuet. c.* 25. *v. s.*

3 c *Remuntiare*.) Vulgare axioma deductum ex lege *si quis in conscribendo, C. de pactis, l. si quis in conscribendo, C. de Episc. & Cleric.* quod variis limitationibus exponit Balboa *in c.* 1. *de foro compet.*

4 d *Manum imponas*.) Verba sunt Apostoli *ad Timoth. cap.* 1. quæ reperiuntur *in cap. miramur 6. dist. cap. quod est manus*, 78. *dist.* ex quibus evincitur, ante legitimam ætatem non esse aliquem sacris ordinibus initiandum.

5 e *Scire non potuimus*.) Inde ob negligentiam diei natalis innumera jurgia, & perniciosæ mortalium seditiones sæpe eveniunt; probari autem ætas potest, vel aspectu corporis, *l. minor* 43. *ff. de minor. l. si minor, ff. si tutor, vel curat. l. si alterius, C. si minor se majorem*; testibus *l. novissima, C. de liberali causa*; natali professione, etiamsi a matre fiat, *l. etiam penult. ff. de probat. l. non nudis, C. de precibus, l.* 1. *C. si minor, l.* 2. *de excus. tutor.* de qua professione aliqua adducunt Costanus *de sponf. fol.* 74. Narbona *de ætate, anno* 1. *q.* 1. & communiter fit ex libris parochialibus, ubi scribuntur regeneratorum nomina.

6 f *Statuta*.) Concilii Later. de quo *in c. cum in cunctis, supra hoc tit.*

7 g *Temporalibus*.) Hæc verba etiam occurrunt in textu antecedenti, ubi adduximus rationem, quare Archiepiscopus Capuanus in temporalibus etiam administraret.

COMMENTARIUM.

8 Conclusio probatur. EX hac diffusa epistola sequentem communiter repetentes deducunt assertionem: *Appellatione interposita, ne electio nisi canonice fiat, si sequatur electio canonica, valida est, si vero appelletur, ne hoc modo fiat, & contra celebretur, nulla est.* Probant textus *in c. consideravimus, c. cum inter, hoc tit. c. dilecti, de suppleu. neglig. c.* 1. *c. circa, c. quamvis* 10. *hoc tit. in* 6. *c.* 1. *de appell.* Illustrant ultra congestos a Barbosa in præsenti, Covar. *pract. q.* 24. *n.* 5. Julius Lavorus *de elect. c.* 19. *n.* 120. Lancell. *de attentatis* 2. *p. c.* 12. *limit.* 5. Salgado *de protect. Reg. p.* 3. *c.* 8. late *de retentione bullarum* 3. *p. c.* 8. Lezana *tom.* 3. *verbo appellare.* Fragoso *de regim. Christ. reip. p.* 1. *l.* 8. *disp.* 24. §. 41. Thom. Sanch. *lib.* 3. *consil. c. unico, dub.* 32. Hieron. Garzia *tom.* 2. *polit. regul. diffic.* 6. *tr.* 9. *dub.* 3.

9 Impugnatur tradita assertio. Hæc tamen assertio difficilis redditur sequenti consideratione; nam ab eo, quod facit major pars Capituli, non licet appellare; nec si tali appellationi deferatur, inducitur attentatum, *c.* 2. *c. ex ore, de his, quæ fiunt a Prel.* imo factum a majori parte, non obstante appellatione exequendum est, *d. c.* 1. ibi: *Appellatione remota prævaleat semper, & suum consequatur effectum, quod a majori, & saniori parte Capituli fuerit statutum.* Et *d. c. ex ore*, ibi: *Nos attendentes sibi de jure non potuisse competere, ut per appellationem ob id interpositam communem ordinationem Ecclesiæ impediret.* Quod adeo procedit, ut etiamsi in continenti offeratur causæ probatio, non admittatur appellatio, ut docent *in d. c.* 1. Immola *colum.* 1. *nu.* 2. Innocent. *n.* 3. quos sequuntur Azevedo *ad Curiam Pisanam l.* 2. *c.* 4. *n.* 12. Salgado *de protect. p.* 2. *c.* 13. *n.* 228. igitur si in præsenti textu appellatio interposita fuit a minori parte, cum electio celebrata esset a majori, non debebat admitti. Accedit, nam ex alio capite appellatio superflue interposita fuit in præsenti casu; nam appellatio ne electio fiat nisi Canonice, frustratoria est, quia vel electio celebrata fuit Canonice, & cum non sit contra appellationem facta, nihil operatur appellatio; vel fit minus canonice, & tunc electio nulla est ipso jure, *c. cum in cunctis, c. quia diligentia, c. quia propter, hoc tit.* ergo frustratoria fuit appellatio, de qua in præsenti casu. Augetur secundo hæc difficultas, nam si appellatio, de qua in præsenti, vires habuit, sive interposita ne nisi Canonice electio fieret, sive ut hoc vel illo modo celebraretur, quidquid post appellationem admissum fuerat, ut attentatum revocari debebat, *c. si a judice, de app. l.* 6. quidquid enim post appellationem attentatum fuerit, nullum est ipso jure, *cap. significante, c. Rodulphus, de rescr. c.* 1. cum vulgatis, *de appel.* ergo quocumque modo appellaret minor pars Capituli Capuani, quidquid postea attentatum fuerat, nullum debebat declarari.

10 Appellatio quotuplex. Qua difficultate, etsi gravi, non obstante, vera est præsens decisio, pro cujus explicatione sciendum est, appellationem duplicem esse, unam judicialem, aliam extrajudicialem, ut docent Abbas *in rubrica de appel. n.* 3. Petr. Greg. *lib.* 50. *syntag. c.* 2. *n.* 5. Rebuffus *in tract. d. appel. in præfat.* Pax *in praxi*, 6. *p. in proœm. n.* 8. Azevedus & plures ab ea relati *in rubric. tit.* 18. *n.* 4. *l.* 4. *recopil.* Judicialis dicitur, quæ in judicio interponitur, & quadrupliciter a Doctoribus consideratur, videlicet antejudicialis, intrajudicialis, judicialis, & postjudicialis. Antejudicialis dicitur, quæ ante litis contestationem interponitur, *c. significasti*, 32. *c. Rodulphus* 35. *de rescript.* Intrajudicialis, quæ post litem contestatam ante finem judicii fit, *c.* 1. *de dilat.* ut quæ ab interlocutionibus interponitur, *c. ut debitus* 59. *de appel.* Judicialis dicitur, quando a sententia definitiva appellatur. Postjudicialis, quæ interponitur ab executione, *l. ab executione* 4. *ff. de appell. l. ab executore* 5. *C. quorum appell. c. consulentibus* 15. *de re judic.* Extrajudicialis vero appellatio dicitur ea, quæ ab actibus extrajudicialibus interponitur, quoties quis gravatur, vel gravamen sibi inferendum esse suspicatur, ut in electionibus, præscriptionibus, & similibus, *cap. constitutis* 23. *in fin. de appell. cap. concertationi* 8. *eod. titul. lib.* 6. quæ omnia extrajudicialia sunt, *cap. cum inter, hoc titul. cap. constit.* 41. *cap. ut circa, eodem titul. lib.* 6.

Ma-

Marescot. *l.* 1. *variar. c.* 31. *n.* 30. Salgado, plura inde ad praxim resolvens, *de protect. Regia* 2. *p. c.* 13. Et hæc extrajudicialis appellatio interponitur vel a judice extrajudicialiter procedente in danda alicui possessione, vel spoliatione; vel a privato gravamen aliquod inferente, veluti in electione non solum facta, verum facienda, *c. Ecclesia* 48. *hoc tit.* ut si de persona non idonea fiat, *c. congreg.* 53. *hoc tit.* vel contempto eo, qui provocat, *c. bonæ* 36. *hoc tit.* vel ne procedatur ad electionem sine consensu totius Capituli, seu vocatis absentibus, *c. audiens* 27. *hoc tit.* ne ille, vel ille eligatur, *c. inter* 21. *hoc tit. c. qui contra* 20. *eod. tit. in* 6. vel nisi Canonice fiat electio, *c. cum nobis* 19. *hoc tit.* quibus in casibus eligentium potestas suspenditur, *c. cum nobis* 19. *de elect.* progressusque ipsis electionis impeditur, *c. quod sicut* 28. *hoc tit.* Hæc autem appellatio extrajudicialis frequenter interponitur, cum quis suspicatur aliquod gravamen sibi esse inferendum in electione seu præsentatione; quo casu fieri debet protestatio in publica forma eligenti, vel adversario, quam nos appellamus vulgo *requirimiento*, ne videlicet ad electionem procedatur, aliquisve præsentetur, instituatur, seu in possessionem mittatur, aliter ex tunc, tamquam a gravamine comminato appellari; a futuro enim gravamine appellari potest, *leg. in multis* 25. *C. de appell.* cum vulgatis.

11 Post appellationem nihil innovatur. Secundo præmittendum est, post appellationem interpositam nihil esse innovandum, *l.* 1. *& per tot. C. nihil innovari appel. pender. n.* 1. ubi late dicam, *de appel.* Lancell. *integro tract. de attentatis*: quod procedit sive appellatio recepta sit, sive non sit admissa; nam si recepta est, nihil innovata potest, ex eo quia recepta est, & per consequens suspensa jurisdictio judicis a quo, *c. ad hæc, c. super eo, c. ut nostrum* 36. *de appell.* Si vero non sit admissa, etiam non permittitur innovatio, ne præjudicium appellanti irrogetur, interim dum per superiorem deciditur, an appellatio juste interponatur, an invalide, *l. unica, ff. nihil innovari*, Lancell. *de attent.* 2. *p. c.* 15. *n.* 58. Cov. *pract. qu.* 25. *nu.* 1. Sententia enim per appellationem inspecto præsenti statu extincta censetur *l.* 1. *§. fin. ff. ad Turpilian.* & si consideremus futurum litis eventum, suspensa dicitur, *c. venientes, de iurejur.* tum etiam, nam si aliquid appellatione interposita innovaretur de judice a quo, non solum in præjudicium partis fieret, verum etiam in contemptum superioris judicis ad quem, ut docent Francus & Cardinalis *in c. bonæ*, §. 1. *de appel.* Unde quia post appellationem a judice a quo innovatur, attentatum dicitur, & ante omnia remedio attentatorum a judice ad quem revocari debet; quare frequens est illa clausula in rescriptis impetratis appellationis causa: *Revocato in irritum quidquid post appellationem inveneritis attentatum, in negotio procedatis*. Docent & illustrant Donel. *l.* 28. *comment. c.* 9. Gxillus *l.* 2. *pract. c.* 146. Gonzal. *ad regul.* 8. *Gloss.* 5. *n.* 176. Tuschus *litt. A, cont.* 375. & 376. Balboa, & communiter repetentes *in c.* 1. *de appel.*

12 Ratio decidendi. Ex quibus velut manuducitur ratio nostræ conclusionis; nam si appellatio interposita sit, ne hoc, vel illo modo ad electionem electores procedant, electio contrario modo celebrata, ut attentata rescinditur, & revocatur, ex supra dictis; imo electores pœnam suspensionis incurrunt, *c. si postquam, c. provida, hoc tit. in* 6. si vero generaliter appellatum fuit, ne electio nisi canonica admitteretur, electio canonice celebrata sustinetur, quia non est contra appellationem, licet sit post eam celebrata; quod non est sufficiens in extrajudiciali appellatione, ut attentatum inducatur, ut dixi *in c. consideravimus, hoc tit.* Quare recte Pontifex in præsenti decidit electionem in præsenti specie post appellationem, non vero contra, celebratam valere, electumque litteris pollentem, legitimamque ætatem habentem, admittendum esse ad Episcopatum.

13 Respondetur difficultatibus. Nec obstat difficultas supra adducta, quia quod in ea dicebamus, procedit, cum major pars Capituli rationabiliter, & secundum juris tramites statuit; minor vero pars irrationabiliter, non ratione, sed propria voluntate ducta, in appellationis vocem erumpit, ut electionem differat: tunc enim appellatione remota major pars procedere valet ad electionem absque eo, quod ut attentatum rescindatur. Nec obstat, appellationem interpositam in nostro textu, ne nisi canonice procederetur, frustra interponi. Cui difficultati, omissa solutione Innoc. in præsenti, dicendum est, appellationem interpositam, ne nisi canonice electio fiat, non esse frustratoriam, quia utilius est, ut electio annulletur per viam attentati judicis officio, quam per viam ordinariam, agendo ad nullitatem electionis, ut docet Butrius *in præsenti, n.* 22. Nec obstat augmentum difficultatis, cui satisfaciendum est discrimen constituendo inter appellationem judicialem, & extrajudicialem; licet enim post appellationem judicialem omnia quocumque modo attentata revocentur; tamen in appellatione extrajudiciali illud tantum revocatur, quod computa, quod contra ipsam appellationem factum est, videlicet contra expressum articulum, a quo fuit extrajudicialis appellatio interposita, juxta text. *in c. cum sit Romana*, §. *vero, de appel.* docent Lancell. *de attent. l.* 3. *c.* 12. *limit.* 3. Cov. *pract. c.* 24. *n.* 5. extrajudicialis enim appellatio tantum est quædam provocatio, quæ non suspendit jurisdictionem ejus a quo interponitur; sed tantum in eo articulo, de quo specialiter est appellatum. Unde cum in nostro textu agatur de appellatione extrajudiciali, recte asseritur, quod nisi contra ipsam appellationem electio celebrata fit, ut attentata revocari non potest, ut dixi *in cap. consideravimus, infra.*

14 Exponitur c. constitutis 46. de appel. Obstat supra traditis text. *in c. constitutis* 46. *de appel.* ubi asseritur interposita ab electione appellatione, posse electum possessionem acquirere, & remedio attentatorum possessionem non revocari: igitur etiam post appellationem interpositam licet ad electionem procedere. Cui difficultati, omissis traditis a Balboa *in c.* 1. *de appel. n.* 47. dicendum est, possessionem in eo textu juste adeptam fuisse, & defendi posse duplici ratione. Prima generali, qua docetur ab executione appellationem non admitti, *c. novit* 43. *hoc tit. leg. ab executore, ff. de appel. leg. ab executione* 5. *C. quorum appel.* late docet Salgado *de protect.* 4. *p. c.* 1. *cum seqq.* Alia speciali ratione, quia licet a confirmatione electionis appellari possit, *c. cum nobis* 19. *de elect. cap. concertationi, eod. tit. l.* 6. pluribus relatis Garcia *t.* 2. *polit. tr.* 9. *diffic.* 6. *dub.* 2. tamen post confirmationem ab investitura, seu institutione appellari non valet, *c. ut circa, de elect. in* 6. ne diu Ecclesia pastore destituatur; unde cum *in d. c. constitutis*, appellatio esset interposita post confirmationem, appellatio postea adepta remedio attentatorum revocari non potest. Docet Pet. Gregor. *l.* 5. *part. tit.* 15. *c.* 2. *litt. V.*

CAPUT XX.

Idem a *Cantuariensi Episcopo*.

INnotuit nobis olim, tam per litteras tuas, quam quorumdam Suffraganeorum tuorum, & dilectorum filiorum Prioris, & Conventus *b* Vvigorniensis Ecclesiæ, quod eadem Ecclesia destituta *c* Pastore, dicti Prior, & *d* Conventus dilectum filium Magistrum M. Eboracensem *e* Archidiaconum in Pastorem animarum suarum unanimiter elegerunt; & cum ejus tibi fuisset electio præsentata, *f* confirmationem usque in adventum ipsius, qui *g* absens eligebatur & inscius, distulisti; qui tandem, quod fuerat factum audito, ad præsentiam tuam devotus accessit, & præter opinionem omnium, qui nihil obstare credebant, quin statim concors, & canonica deberet electio confirmari, spontanea tibi, & *h* secreta confessione *i* monstravit, quod conscientia ejus aliquantisper ex natalibus esset læsa, & quod ad tantæ dignitatis apicem præter indulgentiam Apostolicæ Sedis nolle aliquatenus promoveri proposuit, etiamsi promoventem benignum & facilem inveniret. Tu autem, sicut vir providus & discretus, intellecta conscientia ejus, noluisti protinus ad confirmationem procedere, sed nobis rei seriem per tuas insinuasti litteras, & per eas ipsius Magistri merita & conscientiam *j* commendasti, Capitulum autem ejusdem Ecclesiæ, quare per te fuisset electionis confirmatio protelata, se ignorare per litteras suas nobis transmissas exposuit, & eam petiit per Sedem Apostolicam confirmari, præsentato nobis decreto electionis subscriptionibus eligentium roborato. Quidam tamen Suffraganeorum tuorum, quod per tuas litteras videbaris obscure aliquantulum innuisse, per suas litteras in aliquibus expressérunt, asserentes eum filium fuisse cujusdam militis, & ab eo ex quadam *k* ingenua, & non conjugata susceptum. Interim vero idem Magister ex insperato ad præsentiam nostram accessit, & quod nobis de nativitate ipsius per litteras aliquorum Suffraganeorum tuorum fuerat intimatum exposuit, & adjecit, quod nunquam pater ejus habuerat uxorem, sed matri ejus virginitatis florem subripuerat quasi furtum, quo facto ipsa infra quadriennium a nativitate ipsius matrimonium contraxit: Nos ergo cum fratribus nostris habito super hoc diligenti tractatu, relectis *l* canonibus, quosdam invenimus, qui non legitime genitos promoveri vetant ad officium Pastorale, causam trahentes ex lege divina, per quam spurii, & manzares usque ad decimam generationem in Ecclesia Dei prohibentur intrare. Invenimus etiam *m* alios, qui undecumque genitos non prohibent ad sacros Ordines promoveri, dummodo sibi merita suffragentur; asserentesque, quod culpa parentum non est filiis *n* imputanda. Et ad hoc probandum inducuntur, quod Dominus noster Jesus Christus non tantum ex alienigenis, sed etiam *o* adulterinis voluit commixtionibus nasci, qui est Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Hi etiam divinæ Scripturæ videntur innici, qua dicitur: Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii. Per quam antiquum videtur proverbium removeri, quod inter filios Israel dici solebat: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt. Quidam vero ad concordiam discordantia revocantes, repugnantiam canonum prædicto-